



**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio VI. De efficienti Increato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

causa principalis, sunt accidentia similia. Est assertum contra recentiorum Suar.

RATIO. Non est major ratio, cur substantia, respectu substantiarum, possit esse causa principalis, & non accidentia respectu accidentium sibi similia; suppositoque, quod definitivè causa instrumentalis, sit causa subordinata alteri, non poterit ostendi, cur accidentia in productione aliorum accidentium subordinentur substantiis: & sicut quod accidens, sit entis ens, supponit accidens prius in se esse ens: ita quod subordinatur in operando alteri, supponit illud posse operari simpliciter, non posset autem simpliciter operari, si respectu accidentium Accidens non foret causa simpliciter, seu principalis; & sicut servus habet aliqua opera, quorum Dominus est, ita & causa instrumentalis habebit opera, respectu quorum principalis munus, gerere poterit.

DICES PRIMÒ. cum recentiori Suar. Instrumentum est, quod alteri subordinatur in operando, & agit ut Quo, accidens autem subordinatur substantiæ in operando, quia subordinatur, etiam in essendo.

RESPOND. Majorem esse subordinationem Creaturæ ad DEUM, quam accidentis ad substantiam, cum hoc tamen stat, ut respectu effectuum suorum naturalium, sint causæ principales, substantiæ; ita & in præsentia, subordinatio, non tollet, quo minus accidentia sint causa principalis respectu accidentium. Sola ergo subordinatio, quæ facit non per se aliquid intendi, & in aliquibus subordinatio non assimilandi sibi effectum, arguit, non esse aliquid principale agens.

DICES SECUNDÒ, cum eodem, Accidentia agunt ut Quo, causa autem principalis debet agere ut Quod, quod autem agant ut

Quo, inde probat, quia agere ut Quo, est agere suppositum, per se subsistentium, quod accidentibus non convenit.

RESPONDETUR. Agere ut Quo substantialiter, & per modum subjecti denominationis, est agere substantiarum, unde etiam dicitur in proprietate aqua extinguere ignem, non ejus humiditas & frigus; sed agere ut Quo tanquam principii, à quo procedit actio, nego, quod sit, non nisi substantiarum.

DICES TERTIÒ cum eodem, Quamvis bonum accidentis, sit, producere aliud accidens, est tamen bonum, quod ultimo refunditur in bonum substantiæ.

RESPONDETUR. Productionem accidentis refundi in bonum substantiæ, tanquam in subjectum denominationis, sed non tanquam in principium per se intentum.

ASSERO TERTIÒ. Si ignis spoliaretur omni calore divinitus, non posset connaturaliter producere in subjecto extraneo calorem.

RATIO. Tum quia ageret in distans, quomodo enim uniretur extraneo subjecto, neque enim transmissione actionis, quæ est modus, vel non sine modo, uniri potest, ob illius essentialem connexionem cum modificato, respuente mutare subjectum. Et certè sine virtute agendi sibi à natura provisa, nihil agere potest, calor autem, ut supra vidimus, est virtus agendi igni provisa. Tum quia prius est esse aliquid in se, postea ad aliud, non esset autem prius in se, si non perficiendo se per calorem sibi debitum, progrediretur ignis ad calorem in alio producendum. Tum quia frustra jam igni emanandus esset ex se calor, si sine emanato, est proximum principium agendi; sicut frustra sunt distinctæ potentia ab anima, si sola est sufficiens principium suarum intellectionum.

DISPUTATIO VI. DE EFFICIENTE INCREATO.

PRÆMITTO I. *Dari efficiens increatum.* Demonstrat id Aristot. 12. Metaph. tex. 30. & secundo Metaphys. tex. 5. item 8. Physic. 1. tex. 34. quam demonstrationem, fusè proponit S. Thom. I. Contra gentes C. 13. & prima parte Q. 2. a. 2. Videantur dicta, in prima parte, ubi de Existentia DEI.

PRÆMITTO II. *Efficiens increatum, operationum suarum ad intra, habere principia Intellectum, & Voluntatem; Operationum autem ad extra principium habet, quod appellatur Omnipotentia,* quam DEO esse concedendam, Ratio probat. Tum quia est perfectio simpliciter simplex, quam melius est habere DEUM, quam non habere: Tum quia enti, à quo reliqua dependent possibilia, danda est virtus productiva

possibilium, hæc autem virtus in DEO, Omnipotentia est: Tum quia, si non daretur ens productivum ex nihilo, nullum posset esse universum, ut suppono ex demonstratione de DEI existentia, & ex principio recepto: Ex nihilo, vel à nihilo nihil fit. Ergo debuit dari Principium, Entium productivum, ex nihilo: hoc autem non potest esse aliquid aliud, nisi Omnipotentia.

PRÆMITTO III. *Hanc Omnipotentiam esse formaliter condistinctam ab ipsa voluntate, quæ aliquid vult fieri ad extra, quidquid sentiant in oppositum Scotus, & cum eo Valq. & Molina.*

RATIO. Tum quia voluntas habet aliud objectum, hoc est bonum; Omnipotentia autem habet pro objecto, factibile: potentia autem

aurem secundum objecta distinguuntur. Tum quia circa res possibiles, sequeretur non dari omnipotentiam Divinam, quæ nunquam extitit sunt, quia infinitas ex illis, non vult Deus fieri ad extra, & si velle fieri ad extra, est esse omnipotentem, posse tantum velle fieri aliquid ad extra, erit posse esse omnipotentem. Tum quia hinc loquimur non de identitate reali, sed in ordine ad nostrum intellectum; jam autem per rationem prius est velle, postea facere. Tum quia, si idem esset voluntas & omnipotentia, ad quod se extenderet voluntas, ad ea se extendere deberet etiam omnipotentia: sicut quia idem formaliter est homo, & animal rationale, ad quæ se extendere potest homo, ad ea se extendere potest etiam animal rationale; sed non ad quidquid se extendit voluntas, ad idem se extendere potest omnipotentia: nam voluntas extendit se etiam ad increata, ad quæ non se extendit omnipotentia.

Neque valet, si dicas, quod ad quidquid se extendit voluntas ad extra, ad illa se extendat etiam omnipotentia, non inquam valet, quia supra adlata probant, etiam voluntatem extendentem se ad extra, non idem esse formaliter cum omnipotentia: sicut etiam in creatis, non est idem applicatio executiva, & ipsa executrix. Deinde eadem est formaliter voluntas in ratione voluntatis extendens se ad ea, quæ sunt intra, & ad ea, quæ sunt ad extra, licet terminative, differant: Sed omnipotentia est idem formaliter cum voluntate ad extra: Ergo idem etiam erit cum voluntate extendente se, ad ea, quæ sunt intra, propter principium illud: Quæ sunt eadem uni tertio &c. Denique hæc responsio solum probat quod concomitanter se ita habeant, non verò quod sint idem formaliter; & sicut ex eo, quia nihil est volitum nisi cognitum, non rectè inferitur: ista esse idem formaliter, sic nec in præsentia, quia quæcumque DEUS vult, illa facit, licebit inferre, quod ipsius velle, & omnipotentia, sint idem formaliter.

DICES I. In oppositum esse testimonia Patrum, quæ adfert recentior Suar.

RESPONDETUR. Illa testimonia non plus velle, quam ostendere energiam voluntatis, quæ scilicet, quidquid vult, possit etiam in actum ponere; non sicut nos, qui multa volumus, quæ non possumus facere.

DICES II. Perfectio voluntatis est posse quod vult. Ergo hoc posse tanquam perfectio, concedenda est voluntati Divinæ.

RESPONDETUR. Perfectionem voluntatis esse, posse quod vult, hoc est, non deficere in potentia executiva volitionum, sed non esse perfectionem voluntatis, identificare sibi ipsum posse, identificatione formali.

DICES III. Impossibili potentia executiva condistincta formaliter, adhuc posito voluntatis imperio efficaci, fieret res decreta: Ergo appa-

ret idem formaliter esse omnipotentiam & voluntatem.

RESPONDETUR. Implicare id, quia & vellet tunc DEUS efficaciter; & non vellet efficaciter; vellet ut supponitur, nollet autem, quia velle efficaciter, est velle cum potentia faciendi, quæ supponitur tunc impossibilis; & aliunde non probatur identitas formalis, inter omnipotentiam & voluntatem.

QVÆSTIO I.

De Creatione.

PRÆMITTO I. *Possibilem esse Creationem.*

RATIO. Tum quia nulla potest ostendi implicantia. Tum quia materia prima & animal rationalis, non possunt aliter produci nisi per creationem, cum non possint produci dependentes à subiecto, ut aliunde suppono. Tum quia, si non daretur creatio, impossibile esset Ens primum non à se: nam illud non posset poni ab aliis prioribus rebus creatis, hoc ipso enim non esset primum: Ergo deberet produci ex nihilo, adeoque creari.

PRÆMITTO II. *Creationem quidditative, esse productionem rei ex nihilo;* portò ly *Ex nihilo* non debet capi pro sola non existentia, seu non esse, quia aliàs omnia, quæ de novo fiunt & generantur, crearentur; omnia enim fiunt ex nihilo; multò minùs ly *Ex nihilo* debet sumi pro rei, quæ constituitur, constitutivo; quasi scilicet, quæ fiunt, fiant ex nihilo tanquam constitutivo, quia aliàs, quæ fierent, non fierent, quia constituta ex nihilo, necessariò deberent esse nihil. Ly itaq; *Ex nihilo* secundum Ansel. in Monol. accipi debet, quod scilicet fiat ex nihilo subiecti, hoc est, non concurrente ad productionem illius, causâ materiali, & subiecto. Ubi signanter dico, Creationem fieri non concurrente causâ materiali, non verò, non concurrente materiâ, quia actus vitales spirituales, sive naturalis, sive supernaturalis ordinis, educuntur, non creantur, & tamen ad illorum esse non concurrunt materia, sed causa non nisi materialis. Quamvis non negem, quod creatio supponat rem non fuisse ante productam: hinc etiam replicatio creativa supponit rem, toties non fuisse replicatam, quoties illam ponit replicatio.

PRÆMITTO III. *Supereffe difficultatem circa hanc definitionem,* quod videatur competere æternæ generationi Verbi; nam competit illi esse productionem, competit etiam ei, quod sit ex nihilo: nam etiam ad generationem Verbi causa materialis non concurrat.

EXPLICARI POSSET I. Ideò creationem Verbi, non esse productionem ex nihilo, quia illius non esse, non antecessit esse. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT, quia non implicat aliquid creari, & tamen ab æterno, adeoque ut non præcesserit non esse, ipsum esse.

EXPLI.

EXPLICARI POSSET II. Ideo productionem Verbi, non esse creationem, quia ne quidem capacitatem habet, ut producat ex subiecto. *Hec etiam Explicatio*

NON SATISFACIT. Nam Angelus & anima rationalis, ne quidem capacitatem habent, ut producantur ex subiecto, & tamen verè creantur.

EXPLICARI POSSET III. Ideo productionem verbi non esse creationem, quia per ly *productio* intelligitur hîc causatio, verbum autem æternum non causatur. *Hec Explicatio*

NON SATISFACIT plenè, nam inprimis multi ex Patribus Græcis, causam Filii, dicunt esse Patrem, & tamen negant illum esse creaturam. Deinde negatur, quod nomine productionis veniat hîc causatio, cum aliunde productio sit quid commune, ad creationem. *Hinc aliter*

EXPLICATUR. Ideo productionem Verbi non esse ex nihilo, quia verbum est productum ex substantia Patris; Substantia autem Patris, non potest dici nihilum: Et sicut quando producit aliquid, concurrente causâ subiectivâ & materiali, non producit ex nihilo; ita quando producit verbum, non producit ex nihilo, quia producit ex substantia Patris. Unde quando accipitur ly *Ex nihilo*, pro ly non concurrente aliquo tanquam causâ subiectivâ & materiali, accipitur tanquam aliquid notius; notior enim nobis est concursus causæ materialis, vel ejus defectus, præ produci, ex substantia. Rigorose ergò loquendo, creatio, est productio ex nihilo, hoc est non concurrente causâ materiali, vel aliquo alio non interveniente, quod salvet productum esse ex aliquo, & non ex nihilo: quale est produci ex substantia Patris. Et hoc est, quod respexere Patres, quando contra Arrianos negarunt Filium productum: Ex non exstantibus.

DIFFICULTAS I.

De distinctione actionis Creativæ à re Creatâ.

DICENDUM EST I. *Creationem activam, non distingui à principio creante, realiter vel modaliter.* Procedit Conclusio de creatione appropriatè accepta, hoc est, positione rei, quæ antea non erat extra causas; idque sine concursu alicujus causæ creatæ: nomine autem creationis non appropriatè dictæ, venit actio illa, quâ Deus replicat res, vel conservat, sine concursu subiecti, cum antea conservaretur cum concursu subiecti, & ante quem, sive replicativum, sive conservativum concursum, jam supponebatur, habere, esse.

PROBATUR PRIMÒ Conclusio. Non sunt

multiplicanda entia sine necessitate, nulla autem est necessitas hujus superaddendæ entitativè distinctæ creationis ab utroque termino.

PROBATUR SECUNDÒ. Possibile est creationem esse identificatam ipsi termino; id enim universaliter pronuntiat Oviedo de natura actionis hîc Cont. 12. p. 1. n. 7. & Cont. 13. p. 2. n. 10. quam creationem possumus appellare passivam: Ergò etiam possibile erit creationem activam, identificari principio creanti. Quod si potest identificari principio creanti, de tacto est identificata: quia quod potest cum aliquo, multo magis cum DEO, esse idem realiter, jam necessario idem erit.

PROBATUR TERTIÒ. Modi inventi sunt ad salvandum transitum ab uno contradictorio ad aliud contradictorium; sed hic transitus salvari potest, sine ulla entitate modali, quod probatur. Positâ dependentiâ effectûs à causa prima, tanquam producente effectum ex nihilo, sufficienter salvatur transitus, à non esse creatis, ad esse creatis actu: nihil enim plus intelligimus per creationem, quam illius generis dependentiam. Sed positâ entitate effectûs, sine concursu alius causæ, salvabitur transitus à contradictorio ad contradictorium. Minor Probatur. Quod scilicet positâ Entitate effectûs ponatur dependentia à DEO: quia scilicet nihil potest existere independentè à DEO, quod etiam positâ entitate effectûs, idque sine concursu alius causæ, ponatur tunc dependentia tanquam à Creatore, inde probatur, quia esse productum sine concursu alius causæ, est produci ex nihilo subiecti, adeoque creati.

CONFIRMATUR: Si nihil obsit, debemus à DEO, dependentiam quàm arctissimam, & maximè intimam, ponere. Sed si creaturæ immediatè dependeant à DEO, non per mediam actionem creatam, magis intimè dependebunt à DEO, & tali dependentiæ nihil obstat. Ergò illa ponenda est. Quod autem dependentia immediata, sit major, ratio est, quia major est dependentia actûs vitalis à potentia vitali, quàm albedinis ab hac materia: quia est magis immediata; major etiam est dependentia actionis distinctæ à principio, quàm ipsius effectûs; idq; idè, quia est dependentia immediata; & sic de reliquis.

Idem medius terminus, sic aliter proponitur. Creatura, prout condistincta est entitativè à creatione, vel est DEUS, vel non est DEUS; Si prout condistincta à creatione non est DEUS; Ergò prout condistincta à creatione, est dependens à DEO solo, causante; adeoq; esse, & denominationem creati, sine creatione superaddita, habere potest: si autem prout condistincta à creatione est DEUS, Ergò est id, quod non est; est enim DEUS, & tamen est creatura.

DICENDUM EST II. *Creationem passivam non esse distinctam modaliter ab ipsamet re creatâ.* PRO-

PROBATUR Conclusio iisdem argumentis, quibus superior conclusio.

DICENDUM est 3. *Creationem passivè acceptam esse realiter distinctam à principio creante, seu activa creatione.*

PROBATUR 1. Quia creatio passivè accepta, est ipsamet creatura, quæ distinguitur realiter, à creatione activa, seu Deo.

PROBATUR 2. Quia inter causam & effectum debet esse distinctio realis; jam autem creatio activa, & creatio passiva, eodem modo inter se comparantur.

PROBATUR 3. Creatio passiva identificatur ei, quod creatur, vel se tenet à parte illius: Ergo distinguitur realiter à creatione activa, seu principio creante; quia principium creans, non est hoc quod creatur, nec se tenet à parte creati.

OBJICIT 1. Ovied. Omnipotentia Dei, & quidquid est intrinsecum Deo, est ab æterno: sed nulla actio, ex vi cuius producit effectus, fuit ab æterno. Ergo omnis actio distinguitur ab omni intrinseco Dei. Minor probatur. Omnes effectus ab extra producti sunt in tempore: Ergo nulla actio fuit ab æterno; implicat autem actionem esse in aliqua mensura, in qua non sit terminus.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum, nam actuale dominium Dei, est intrinsecum, modaliter ab eodem indistinctum, & tamen actuale dominium creaturarum non habet Deus ab æterno, cum ipsæ non sint ab æterno. Idem dicendum de coexistentia Dei ad creaturas, indistincta intrinsece à Deo, quæ tamen non habetur ab æterno, cum ipsæ creaturæ, non sint ab æterno. Directè autem ad argumentum dici potest, quod creatio activa secundum id, quod dicit in recto, sit ab æterno, sed non secundum id, quod dicit in obliquo.

INSTAT 1. Idem. Actio illa identificata Deo, est indifferens ad exercendum, vel non exercendum munus actionis, ut ex vi illius ponatur, vel non ponatur effectus, & determinatur formaliter per connotatum extrinsecum, ut hîc & nunc exerceat munus actionis. Ergo cum illa formalitate, quam tu actionem vocas adhuc est indifferens ad ponendum, vel non ponendum effectum. Ergo illud connotatum habet totam rationem actionis, & non illa formalitas identificata Deo, quam tu actionem dicis. Prob. Conseq. Munus actionis, & ratio formalis constitutiva illius, est, determinare physice, & in actu secundo principium activum, ad effectum, hîc & nunc ponendum. Sed illud quod tu connotatum dicis, habet hanc formalitatem. Ergo hoc connotatum, est formaliter actio.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum de dominio Dei actuali. Directè autem ad argumentum dici potest, actionem illam identificatam, in circumstantia positi effectus depen-

dentis à solo Deo, non esse indifferentem ad productionem, vel non productionem effectus, licet non ita accepta, sit indifferens, adeoque nec habens formalitatem actionis in actu secundo. Ita ut illud connotatum habeat totam rationem actionis actæ, sed non actionis agentis, quam identificamus Deo. Non sequitur ulterius totam formalitatem actionis agentis, tribuendam esse ipsi connotato; nam in quantum actio agens importat virtutem agendi, non debet tribui ipsi connotato; licet in quantum importat aliquod extrinsecum, intrinsece requisitum, totum illud tribuatur, ipsi connotato.

INSTAT 2. idem. Quamvis Theologi salvent, quomodo, posito quod actus liber Dei, sit intrinsece in Deo, possit tamen esse & non esse, tamen non dicunt actum Dei liberum, in tempore incipere: Ergo neque nos dicere possumus, actionem illam identificari Deo, cum in tempore incipiat.

RESPONSUM supra, actionem creativam secundum id, quod dicit in recto, hoc est ipsam omnipotentiam, seu vim agendi non incipere in tempore, cum sit ipsemet Deus, licet actio creativa secundum id, quod dicit pro connotato, in tempore incipiat.

Tota hæc responsio supponit, quod in re creatio sit ipsemet Deus, & effectus productus, sine concursu causæ creatæ, licet ex modo concipiendi, sit quædam formalitas intermedia.

OBJICIT 2. idem: Ponamus aliquid à Deo creari, quod educi potuisset; ille terminus non haberet secum identificatam creationem: quod probat; quidquid convenit alicui entitati per se ipsam, & cum illa est identificatum, ab illa separari nequit, sed creatio potest separari ab illa. Ergo illi creaturæ non convenit per se ipsam.

RESPONDET aliquis huic argumento apud Oviedo. Res, quæ educi postulant, non posse à Deo creari; dicebatque quantitatem, quæ in Eucharistia creatur, non terminasse unquam eductivam actionem, sed quod adæquatè per se ipsam, semper à Deo pendeat. Multis hanc responsionem impugnat Oviedo: Vide eundem Contr. 13. Pun. 2. n. 6. *Virespondeatur,*

SUPPONO 1. Educibiles formas nihil aliud esse, quàm quæ fieri & conservari connaturaliter, non nisi dependenter à subiecto, exigunt.

SUPPONO 2. Formam educibilem posse à Deo poni, non concurrente actu, ullâ causâ creatâ, tanquàm efficiente: neque enim id repugnat. Potest etiam poni forma educibilis, nullâ concurrente actu, causâ materiali: Ratio: quia causalitas materiæ, est jus, ut forma hæc independentèr à se, nec producat, nec conservetur, debitumque in forma, ut necesse, nec conservari habeat, independentèr à materiali causâ; hinc si nolit formam ponere Deus ad exigentiam causæ materialis, nec dependenter ab & in illa eam statuere, sed potius contra exigentiam

† q

hanc,

hanc, censetur supplere defectum causæ materialis: hoc autem fieri posse non implicat, intervenitque defecto in Eucharistia, ubi conservantur accidentia, non ad exigentiam materiæ.

SUPPONO 3. Non fore ratione termini, ejusdem rationis creationem animæ rationalis, quia forma materialis hōc ipso, quia materialis est, saltem hujus ordinis rerum, habet debitum, ut producat & conservetur dependenter à materia, quod non habet anima rationalis; creabitur nihilominus materialis forma hōc sensu, quia non secundum illam exigentiam produccetur. *His Suppositis*

DICI posset. Quod formæ, quæ educi possunt, non possint à Deo creari creatione ejusdem rationis cum anima rationali: nam semper in productione formæ materialis, erit radicaliseductio, stans in entitate, nata produci & conservari, non nisi dependenter à materia, licet non sit futura actualiseductio, stans in productione, vel conservatione secundum illud jus, & secundum illud debitum; tuncque censetur esse actualiseductio, si Deus interrogatus, an ad exigentiam materiæ conservet vel producat formam, respondeat, affirmativè, quam productionem secundum illud jus, sequitur unio.

Non inexpeditus etiam est modus dicendi, quod tunc & non alio sensu creetur forma aliàs educibilis, quando producit illam effectivè solus Deus, habentem naturam, ut nec produci, nec conservari naturaliter possit sine materiali causa, tunc autem educitur quando aliqua causa creata effectivè secundum ordinem naturalem in entitate ad illam concurrat, talem, ut dictum est, naturam habentem: dixi, secundum ordinem naturalem in entitate; quia si elevaretur supernaturaliter, quoad modum, aliquod improprium agens, ad educendam formam materiale, nondum illam crearet; talis enim elevatio esset adhuc in entitate naturalis, supernaturalis autem quoad modum. Sola tamen præcisè exclusio causæ alijs efficientis, non salvabit rigorosam creationem, quia non excludet concursum causæ materialis, stantem in jure materiæ ad formam. Et sicut Deus conservans loco ignis calorem, nullò alio effectivo concurrente, non dicitur illum conservare creativè, sic nec dicitur creativè producere, ex hoc præcisè, quia nulla alia causa effectivè producit. Sed aliter.

RESPONDETUR 2. Quod creatio à re creabili distingui possit extra circumstantias dependentiæ à solo Deo, in quibus circumstantiis identificatur effectui. Si termini quantitatis in probabili sententia identificantur quantitati, sed in circumstantia negationis ulterioris extensionis; quæ negatione sublata manent termini

(sicut & illa creatio) secundum id, quod dicit in recto, licet non maneat secundum id, quod dicit in obliquo; contingitque universaliter in formalitatibus, quæ aliqua plura deponunt, ut maneat secundum id, quod identificabantur, non maneat secundum id, secundum quod non identificabantur; quibus non manentibus, licet extrinsecis, jam illa formalitas non est, cum in re sint illa duo, unum intrinsecum, aliud extrinsecum. Hæc omnia dicuntur conformiter ad materiam de connotatis.

Continuatur solutio Objectionum.

OBJICIUNTUR 3. Paritates aliqua.

Prima PARITAS est: Actio creati agentis est distincta modaliter, aut non sine modo. Ergo & creatio.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia non posito ullo modo, sed posita ipsa entitate effectus in circumstantia negationis dependentiæ ab aliis causis, sufficienter salvabitur transitus à non esse creantis ad esse creantis; jam autem nisi ponatur Entitas modalis, à non esse causantis creati ad esse causantis creati, sufficienter interdum non transitur.

Neque valet, si dicas. Sicut potest esse hic effectus, & non pendere ab hac causa, ita potest esse hic effectus & non creari à Deo, sed solum educi: consequenter ad hanc indifferentiam tollendam, concedi debere modalitatem aliquam; non inquam valet si dicas, quia sufficit ad hoc ipsa entitas effectus, circumstantionata negatione causarum creatarum concurrentium: & sicut quando duæ causæ totales, constituunt unum eundemque effectum, si postea concurrat non nisi una, à non esse concurrentis unius causæ, ad esse concurrentis unius causæ, transitur non nisi negatione alijs causæ; ita in præfenti transitur negatione causalitatis, aliarum causarum.

Secunda PARITAS est. Si creatura crearet, creatio illa esset distincta modaliter. Ergo & creatio in quantum procedit à Deo.

RESPONDETUR. Disparitatem esse; quia potest esse entitas aliqua, & non esse dependens ab hac creatura producente ex nihilo, & non concurrentibus alijs causis; non potest autem esse entitas aliqua producta ex nihilo, &c. & non dependens à Deo.

Tertia PARITAS est. Si Deus immediate per seipsum replicet nullā creaturā ad replicationem concurrente, illa replicatio creativa esset distincta, ergo & creatio, absolute itidem erit distincta.

RESPONDETUR. Imprimis negando Antecedens. Poterit enim transitus à non esse replicata

plicati creativè, salvari, per ipsam entitatem effectus, pluries positi. Disparitas etiam posset assignari; quia potest esse in rerum natura entitas & non replicata, non potest autem esse effectus ab aliis causis non pendens, & tamen non esse creatus.

Quarta PARITAS est. Concurfus Dei ad actiones creaturarum, est vel modus, vel non sine modo. Ergo & creatio.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia illa concurfus Dei, est idem realiter cum actione creaturarum; quæ vel est modus, vel non sine modo; hinc & identificatus illi concurfus divinus, vel est modus, vel non sine modo: & quamvis concesserimus, ponendam esse quàm maximè intrinsecam dependentiam in fieri, consequenter etiam in agere creaturarum à Deo, id tamen accipiendum est si nihil oblit, obstat autem, ut alius sit concurfus Dei cum creaturis, alius creaturarum. Hinc si concurfus creaturarum est distinctus, etiam concurfus Dei, illi priori identificatus, erit distinctus.

Quinta PARITAS est, quæ utitur Amic. Eductio non est in Deo, ergo neque creatio. Antec. prob. quia si eductio esset in Deo, sequeretur quòd quando Deus se solo conservat effectum, qui erat eductus, mutetur eductio activa in Deo, nam prior erat partialis, secunda autem, est totalis.

RESPONDETUR. Negando Conseq. quia nomine educationis venit actio creaturæ, quæ eadem est, cum actione Dei; & quia actio creaturæ, non est entitas Dei, nec eductio erit. Cæterum, si nomine educationis abutaris, & accipias illam pro ipsa Omnipotentia divina, prout concurrente cum causis secundis, in tantum eductio secundum id quod dicit in recto, identificabitur Deo, nec secundum hoc rectum mutabitur, si se sola conservet creaturam, quam antea non conservabat, licet mutetur, secundum quod eductio, dicit aliquid in obliquo.

OBJICIT 4. Amicus. Creatio non est actio immanens sed transiens, de ratione autem actionis transeuntis est, non immanere agenti, non enim habet suum terminum intrà, sed extrà.

RESPONDETUR. Creationem activam, secundum id quod dicit in recto, esse quid immanens Deo, ordinatum essentialiter ad aliquid ab extrà; ad eum modum, quòd actus, quòd videt Deus creaturas in illis et ipsis, est actio immanens, & tamen terminum suum habet ad extrà. Dici etiam posset, actionem transeuntem physicè, non immanere agenti, secus de actione transeunti ex modo concipiendi, quæ cum sit physicè ipsum agens, ex modo concipiendi transit. Potest autem actio ex modo concipiendi transiens, habere suum terminum ad extrà, si compleatur illa actio aliquo extrinseco, tanquam necessario connotato.

INSTAT 1. Actio est via ad terminum. Ergo non potest ullo modo identificari agenti.

RESPONDETUR. Actionem esse viam vel physicè, vel ex modo concipiendi ad terminum, sed non est necesse, ut semper sit physicè via.

INSTAT 2. Si creatio activa identificaretur Deo, Deus ab æterno denominatus fuisset Creator.

RESPONDETUR. Quòd non; quia denominatio Creatoris coalescit etiam ex creatione passiva, tanquam ex aliquo extrinseco, intrinsece requisito.

INSTAT 3. Idem. Creatio est id, quod est communicatio esse; item id, per quod egreditur effectus à causa.

RESPONDETUR. Communicationem esse, activam, posse identificari Deo, secus passivam, egressio etiam effectus passiva, non potest identificari causæ, secus activa.

OBJICIT 5. Si creatio non esset quid distinctum à Creatore, sequeretur quòd hic actus; volo creationem, haberet seipsam pro objecto.

RESPONDETUR. Cum creatio activa in ratione creationis compleatur aliquo extrinseco, nempe entitate effectus, & negatione concursus aliarum causarum, bene hoc extrinsecum, poterit esse objectum illius Volitionis.

Reliqua argumenta ex dictis hic, & in materiæ de Connotatis, & Relatione, solvi possunt.

DIFFICULTAS II.

Competitne creaturæ Actio creativæ?

IN triplici sensu resolvi potest proposita difficultas. 1. An creatura tanquam causa principalis creare posset? Affirmat contra communem Durand. nec agnoscit implicantiæ Arriaga. 2. An possit creatura, tanquam causa instrumentalis connaturalis creare? Hoc tenet Scot. Hurtad. Arriaga, recentior Suar. Contra sentit Suar. Vasq. Molina & Sanctus Thom. prima Parte, Quæst. 45. art. 5. 3. An creatura tanquam causa obediens creare possit? Quod tenet Suar. Hurtad. Contra Vasquez Molina.

Punctum Difficultatis 1.

Proponuntur implicantiæ, quòd creatura ut causa principalis creare non possit.

PRIMA IMPLICANTIA est ex Suar. Si possibile esset talis creatura, de facto esset, sed non est. Sequela probatur. Quia talis creatura constitueret alium gradum & ordinem prætereos, qui sunt. Ergo jam deberet esse. Quia ordo universi, non est mancus, sed continet omnia quoad gradum & ordinem.

RESPONDETUR. Negando sequelam. Negando item, quòd illa creatura constitueret alium gradum genericum; posset enim esse spiritalis substantia completa: defacto autem est talis

talís gradus in universo, quantumvis non negem, quòd illa creatura quoad speciem esset diversa; certum autem est non esse defecto omnes possibiles rerum species. Unde illa creatura non esset genere perfectior Angelis, licet foret specie perfectior quoad modum agendi. Deinde universum hoc non eò sensu est universum, quasi omnia contineat, sed eò sensu, quia est collectio contentorum in statu existentia, secundum idæam Dei, tantum ac tale, volentis esse universum.

Secunda IMPLICANTIA ex Vasq. & Scoto. Creatura quæ haberet hanc virtutem, non posset esse materialis; Si enim esset materialis, dependeret in esse à materia, adeoque & in operari; Si autem operaretur dependenter à subjecto, hoc ipso non crearet. Spiritualis etiam illa creatura non esset: quia si spiritualis esset, operaretur media volitione, quæ cum accidens sit, improporcionatum esset ad actionem creativam.

RESPONDETUR 1. Probabilius esse, quòd si possibilis sit talis creatura, quòd foret spiritualis, sed quòd non posset esse materialis, non evincunt allatæ rationes; diceret enim aliquis, fore dependentem illam potentiam in operari à materia, non ratione concursus causæ materialis ad omnes illius operationes, sed fore dependentem in operari à materia, quia scilicet potentiam operandi haberet in entitate materiali: neque tunc potentia illa efficere effectum perfectiorem se, posset enim creare nonnisi accidentia, quæ non superant perfectionem substantia.

RESPONDETUR 2. Quòd si esset illa potentia creativa spiritualis operaretur mediâ volitione, non tanquam principio, & virtute effectiva ut quod, sed tanquam applicativo illius virtutis, ut quo. Porro ratio agendi ut quo, non repugnat ut sit improporcionata effectui. Multas alias implicantias videbis solutas apud Arriag. & Ovied.

Tertia IMPLICANTIA ex Amic. & Oviedo. Si possibilis esset creatura, cui tanquam causæ principali deberetur vis creandi, illa creatura deberet esse actus purus, sed non potest esse actus purus creatura, ut supponitur, Ergo. Sequela probatur. Creatura, quæ posset creare, deberet habere actiones immanentes, dependentes à subjecto inhaesionis; Si autem haberet dependentes actiones immanentes à subjecto inhaesionis, deberet habere etiâ actiones transeuntes dependentes à subjecto, adeoque non Creativas. Certè, enim si creatura potens habere actiones immanentes, nonnisi dependentes à subjecto, posset habere actiones transeuntes independentes à subjecto, adeoque creativas, tunc actio illa transiens, esset perfectior actione immanenti: hoc autem non potest dici. Tum quia per actionem immanentem ipsa causa per-

ficatur, per transeuntem aliud à causa. Tum quia omnis perfectio, quæ est in effectu, necessario debet presupponi in causa, actio autem immanens, est causa proxima transeuntis.

RESPONDETUR 1. Recentior Suar. falsum esse nullum agens independentius à subjecto posse operari ad extra quam operetur ad intra: quia cum producit ignis formam ignis, in alio subjecto, equus etiam formam equi, independentius quid producant, quam in se producant, quia ad extra producant substantiale aliquid, ad intra nonnisi accidentale, vel modale; accidentalia autem & modalia magis dependent à subjecto, quam forma substantialis producta.

RESPONDETUR 2. Negando illam actionem transeuntem fore simpliciter perfectiorem immanenti actione, licet secundum quid perfectior foret. Non est autem novum, ut aliquid sub aliqua formalitate perfectius, ratione autem aliarum formalitatum, sit longè imperfectius. Sic in ratione actus, perfectior est intellectio, utpotè essentialiter actus secundus, exclusivus potentialitatis, præ anima, quæ est actus materiae, & tamen anima, ratione prædicati substantialitatis, perfectior est. Rursum non satis explicatur, quid sit hæc perfectio, quam acquirit per actus immanentes creatura, invehens excellentiam in illo ipso perfectivo majorem; nam calore à se emanato perficitur ignis, numquidne jam ille est perfectior calore, quem ignis producit in extraneo subjecto? Et cum potentia per suos actus non in sua entitate, sed extrinsece perficiatur, cur æqualiter tam ab immanetibus, quam à transeuntibus actionibus perfici non poterit? Illud autem quod addit, omnem perfectionem, quam habet effectus, debere habere causam, id falsum est de causis æquivocis, ita, ut dictaminis dicti, hic solum sit legitimus sensus: Quòd causa debeat habere vim causandi effectus. Sed posito etiam, quòd causa debeat continere in sua entitate perfectionem entitativam effectus, saltem id verum esset de eo, quod est verè principium & causa, non autem de eo, quod est nonnisi applicatum potentia ad agendum, qualis est actus immanens, vel quod se habet nonnisi per modum rationis ut quo; quæ non debet esse æquè perfecta ac effectus.

ADDIT Arriaga, perfectionem actionis universaliter loquendo non esse taxandam ex inhaesione, quia actio productiva gratia non est imperfectior productione materiae, licet illa dependeat à causa materiali, non hæc perfectior.

INSTABIS ex Oviedo. Quamvis sit possibilis actio immanens, & identificata principio, sic ut identificatur Deo ipsius intellectiones, tamen non identificatur; ex quo colligimus, exgere hoc naturam creaturæ; ut illius actiones immanentes, non sint independentes à subjecto. Er-

cto. Ergo etiam quamvis sit possibilis actio transiens, non dependens à subiecto, colligimus bene ex vi creaturæ exigi, ut dependeat à subiecto.

RESPONDET ARRIAG. Negando Anteced. Sed positâ veritate antecedentis, disparitas est; quia pro priori præsumitur esse implicantia, quod scilicet identificatio immanentium actuum argueret rationem actûs puri; si autem creatura crearet, nego argui posse, quod esset actus purus. Quid si enim hæc potentia creativa, esset distincta realiter, ab ipsa creatante creatura, ut censent realiter distingui Thomistæ intellectum ab anima.

4. IMPLICANTIA est, quam innovavit recentior Suar. ex Richar. & Henrico. Distantia infinita non potest vinci nisi virtute infinitâ, sed inter Ens & Nihil intercedit distantia infinita. Minorem sic probat. Ut inter opposita detur infinita distantia, satis est quod alterum eorum sit infinitum; ut visitur in distantia, quæ est inter Deum & creaturas, sed Nihil in ratione Nihili, seu imperfectionis, est infinitum: Tum quia illud, quod non potest concipi, & esse quidquam perfectius, est simpliciter infinitum in omni genere perfectionis; ita illud, quod non potest esse aut concipi aliquid imperfectius, erit infinitè imperfectum, tale autem est Nihil. Tum quia Deus non habet plus perfectionis, quam Nihil imperfectionis; siquidē Nihil removet omnem perfectionem, quæ in Deo reperitur, ergo cum Deus sit infinitus in omni genere perfectionis, Nihil erit infinitum in omni genere imperfectionis. Tum quia idcirco creatura distat à Deo intervallò, & distantia infinitâ, quia ipsa non est infinita in genere entis, Deus autem maximè. Sed etiam creatura non est infinita in genere non entis, seu imperfectionis, Nihil autem maximè. Ergo distabit à Nihilo, distantia infinitâ.

RESPONDERI posset in primis, quod hoc argumentum multum probet, & contradictorium in ipso principio probandi assumpto; probat enim quamcunque creaturam, prout oppositam non enti, esse infinitum in imperfectione, & esse simul finitum in imperfectione. Accipiamus pro exemplo Leonem; de eo intentum sic probatur. Erit Leo quid infinitum in imperfectione, prout opponitur non enti, quia omnes negationes, quasunque dicit non ens, dicit etiam Leo, excepto esse Leonis, quod ipsum esse, non importat nisi finitas perfectiones. Ergo ille Leo erit quid infinitum in imperfectione. Quod ipsum ulterius probatur; quia infinitum non exhauritur numero finitò. Ergo neque finito numero perfectionum exhauritur infinitum non entis; Consequenter ex vi huius mediæ arguendi, infertur non rectè assumptum esse, quod creatura non sit infinita in genere non entis. Sequitur etiam Leonem non esse infinitum in imperfectione; quia si esset quid infinitum in imperfectione Leo, esset æquale in im-

perfectione non enti, adeoque non ens. Assump. Probatur, quia unum infinitum, non est in ratione formali majus aliò, adeoque in ratione infiniti imperfectionis, Leo non esset minor imperfectione, quam ipsum Nihil. Ergo debet esse quid finitum in imperfectione. Imò ex vi etiam huius doctrinæ sequitur, infinito nunquam opponi finitum, sed infinitum; quia illud oppositum infinito, negat perfectiones omnes, aliquibus exceptis, quas importat infinitum: Ergo secundum immediatè probata erit infinitum, hoc autem dici non potest, quia contradictoriè oppositum infinito, est negatio infiniti, adeoque non infinitum, Deinde. Illud non potest dici infinitum negationum, seu imperfectionum, quod positâ unica entitate exhauritur in ratione sua formali infiniti, sed Nihil Leonis, quod tu appellas infinitum, exhauritur in ratione sua formali infiniti, positione suæ Entitatis, Ergo Nihil Leonis non est infinitum. Major probatur notione infiniti, cujus secundum quantitatem accipientibus semper accipere est, & nunquam idem. Et certè, quas, & quot perfectiones importat Leo, eas perfectiones omnes negat! Non, seu: nihil Leonis; sed perfectiones, quas importat Leo, non sunt infinitæ, Ergo neque negationes perfectionum, quas importat Nihilum Leonis, erunt infinitæ. Imaginemur duplex Nihil Leonis. Primum particulare, quod exhauritur affirmatione & positione Leonis; Aliud autem est nihil Leonis universale, quod scilicet commune est, & ambit reliqua particularia Non & Nihil: per creationem unius Leonis, non est necesse exhauriri hoc universale Nihil Leonis; quia illud non potest exhauriri in sua universalitate, nisi positione omnium possibilium; particulare autem Nihil, seu non esse Leonis, exhauritur quidē esse Leonis, sed non est infinitum imperfectionum, quia infinitum imperfectionum, & infinitum non esse, non potest exhauriri positione finiti esse, aliâ infinitudo illa haberet transitum consumabilem, quia auferibilem, positione unius finiti. Jam autem particulare illud Non esse, seu Nihil Leonis exhauritur esse Leonis, omne enim contradictorium exhaurit suum contradictorium, aliâ non esset de eodem. Denique hæc propositio; Nihil Leonis est infinitum in imperfectione, prout hic sumitur, falsificantes reddit propositiones; de eo enim de quo non potest verificari, quod sit, quomodo verificabitur quod sit infinitum imperfectionum, cum omne negativum, fundari debeat supra aliquid positivum, solum ergo hoc sit ex modo concipiendi, non verò re ipsa. Aliud est cum dicitur: homo infinitè distat à Deo, vel: homo est infinitè imperfectior Deo; quia si hoc dicatur de possibili homine, hæc propositio non est actu vera, sed fundamentaliter. Neque enim tunc est perfectior, vel imperfectior actu, cum absolute non sit actu; quan-

do autem à parte rei ponitur homo, & dicimus de eo, est infinitè imperfectior Deo, sensus tantum est in re ipsa, quòd finitas perfectiones habeat, adeoque quòd non sit infinitum quid in essendo, sicut Deus; quia infinitæ perfectioni Dei opponitur finita perfectio, ad quam postea consequitur negatio perfectionum, quas habet Deus.

In Forma autem ad argumentum dici potest, negando inter ens, & non ens esse distantiam infinitam; negando item, quòd nihilo particulari Leonis, non possit concipi aliquid imperfectius, nempe nihilum universale: & quamvis nihilo Leonis non posset quidquam concipi imperfectius, quia tamen est tale, ut positione unius entitatis auferatur tota illa imperfectio, fit, ut illa imperfectio non sit infinita. Et quamvis nihil Leonis, neget omnes perfectiones, quas Deus dicit, quia tamen ita illas negat, ut ipsum nihil illius, positione unius entitatis sit auferibile, fit, ut non habeat transitum in consummabilem. Consequenter etiam ad tale nihilum auferendum, non erit necessaria virtus infinita, licet ad nihil universale tollendum esset necessaria omnipotentia, adeoque virtus infinita. Vel si vis, poterit distingui Minor. Distantia infinita non potest vinci virtute finita, si ipse terminus qui producit sit infinitus. Concedo maiorem, si sit finitus. Nego maiorem.

INSTABIS. Deus quamvis sit infinitus in perfectione, tamen sublatà ejus unicà perfectione non est Deus, & posità ejus unicà perfectione est Deus: posità enim v.g. omnipotentia inferitur & exigitur esse Dei, Ergo neque infinitati Nihil Leonis obstabit, quòd tollatur positione finiti alicujus, hoc est esse ipsius Leonis.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam, quòd enim tollatur Deus sublatà unica ejus perfectione, provenit hoc ex identitate reali, quam inter se habent perfectiones divinæ. Jam autem Nihil Leonis, non infert identitatem realem, & connexionem cum Nihilo bovis, hominis, &c. hinc sublato Nihilo Leonis, per positionem Leonis, non tollitur Nihil bovis, v.g. quòd si Nihil Leonis non habet identitatem realem, & connexionem cum aliis Nihilis, fit, ut nihil Leonis infinitum non sit.

Punctum Difficultatis 2.

Quid de reliquis Implicantiis?

QUINTA IMPLICANTIA est Cajet. Quando duo ita se habent, ut tantò altius crescat unum, tantò minuitur alterum, tunc, si unum minuitur, usque ad non gradum, alterum crescit, usque ad perfectissimum gradum, seu usque supra gradum, adeoque in infinitum: aliàs sequeretur, quòd Virtus producat ex aliqua potentia, & Virtus potens producere ex nulla potentia, essent æquales. Sed in actione creativa Virtus

causæ materialis decrescit usque ad non esse sui. Ergo Virtus effectiva crescere supra omnem gradum debet, adeoque in infinitum.

RESPONDET OVIEDO negando, quòd Virtus effectiva sine consortio materiæ crescat usque in infinitum; quia, ut dicit Oviedo, tanta debet addi perfectio principio effectivo, quanta defuit in materiali; & quia in materiali principio erat finita virtus, etiam additio illa virtutis principio effectivo, finita erit.

RESPONDETUR 2. Concedendo, quòd virtus illa effectiva crescat usque ad perfectissimum gradum agendi, h. e. ad actum creandi, nego tamen istam potentiam hoc ipso fore infinitam, quia supra non esse hominis, crescit esse hominis usque ad perfectissimum gradum hominis, cum enim in indivisibili consistat esse specierum, unaquæque in sua specie, quoad sua substantialia, perfectissima est, & tamen esse hominis, non est quid infinitum in substantialibus prædicatis. Unde supra non esse hominis, crescit lapis, per solum esse, supra autem non esse hominis crescit planta usque ad esse, & vivere; animal autem crescit supra non esse hominis usque ad sentire, supra autem non esse hominis crescit esse hominis usque ad perfectissimum gradum esse hominis; & tamen ut dixi, sine ulla infinitate.

Rursus, quando applicando activa passivis producuntur animalia ex putri, non est concursus tantus materiæ, quantus est concursus materiæ, quando subtiliter aliquid pingitur vel fingitur, & tamen non decrescit per hoc vis effectiva artificis, in sua excellentia. Ergo taxa excellentiæ effectivi principii, non est concursus materiæ major vel minor. Antec. probatur: quia quando animalia generantur ex putri, non est illic sola materia, aut aliquid materiale, cum aliquibus negationibus, sed sunt congenerantia alia, v.g. Sol, calor, & per aliquos causæ principalis Univocæ; jam autem in opere artificio, est materia cum accidentibus, sic, vel ita terminatis; & tamen certum est, maiorem esse excellentiam operis artificiosi, v.g. statuæ marmoreæ, & principii illius effectivi, quam applicationis ad generationem ex putri, v.g. servando caseum in loco humido, ut putrescat in vermes.

INSTAT I. Idem. Sit virtus creativa finita, A, decuplò major virtute educivâ, B; tunc, si posset dari aliqua potentia educiva, C, quæ educat effectum ex remotiore potentia, in decupla proportionem excedens virtutem educivam, B; esset æqualis virtuti creativæ, A; quod dici non potest. Ergo apparet, debere dari excessum infinitum potentia creativæ supra potentiam educivam.

RESPONDETUR. Virtutem educivam non fore adhuc æqualem virtuti creativæ, A, quia non essent ejusdem ordinis. Sic v.g. datà excellenter perfectâ substantiâ, tamen illa ratione ordi-

ordinis comparanda non erit Enti supernaturali accidentali; neque tamen inde sequetur, Ens supernaturale habere infinitatem: Rursus datur quam perfectissima potentia sensitiva, nunquam tamen accedet ad perfectionem potentiae intellectivae, quamvis illi infinitudinem dare, non sit necesse, supponit autem responsio ex ordine suo in linea agendi, perfectiorem esse virtutem creativam.

INSTAT 2. idem. Major Virtus requiritur ad creandum, quam ad educendum effectum infinitum. Sed ad educendum effectum infinitum requireretur virtus educitiva infinita: Ergo & ad creandum.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum ex dictis. Major requiritur vis ad intelligendum, quam ad producendum sensationem infinitam; sed ad sensationem infinitam requireretur vis sentiendi infinita. Ergo & ad intelligendum. Quod si dicas, majoritatem hanc sufficere quae oportet altiore ordinem, non verò alio sensu, idem in praesenti dici poterit.

INSTAT 3. ex Sancto Thoma. Tanto major est virtus agentis, quanto rem producit ex remotiore potentia: sicut major est virtus quae producit ignem ex aqua, quam quae producit ex aëre. Sed virtus creativa producit rem ex nihilo potentiae; Ergo est infinita.

RESPONDETUR ex Amico, retorquendo argumentum. Quod virtus cognoscitiva attingit obiectum à potentialitate magis elevatum, eò est perfectior. Ergo Virtus, quae attingit obiectum elevatum ab omnipotentia, est infinita: Ergo lumen gloriae, quod attingere natum est Deum, erit infinitum. Quod si sufficiat majoritas altioris ordinis, etiam in praesenti sufficit.

Sexta IMPLICANTIA est, quae habet fundamentum in S. Thoma, secundo contra Gentes Cap. 25, quae, ut impugnationibus communibus non pateat, sic proponi potest. Si possibilis esset virtus creativa, virtus illa omne creabile producere posset, & non posset producere omne creabile, hoc implicat: Ergo & illud, ex quo sequitur. Quod non posset producere omne creabile, sic probatur. Si posset omne creabile producere, falsa esset ista particularis; aliquod creabile non potest producere, ut notum est ex regulis de Contradictione; sed illa particularis est vera; Ergo falsa debet esse universalis. Minor probatur. Illa potentia Creativa non posset seipsam producere primò, ergo vera esset particularis, aliquod creabile non posset producere. Quae ratio accipit pondus ex discursu Sancti Augustini, qui ex eo, quia per Verbum omnia facta sunt, arguit, Verbum non esse factum, aliàs faceret seipsum.

Neque valet, si dicas. Sicut Omnipotentia sufficit, ut possit producere omne quod non implicat contradictionem, ita & illa potentia; implicat autem, ut aliquid producat seipsum

primò: non inquam valet, nam ad taxandum, an aliquod id possit producere omne quod non implicat, non est attendendum, an implicet huic potentiae, sed an in se non implicet, alias unaquaeque virtus, posset omnia producere, exceptis iis, idque longè pluribus, quae sibi implicant Contradictionem, licet ab aliis potentiis produci possint: indubiè autem producere hoc determinatè Ens primò, virtuti creativae, non implicat contradictionem, aliàs haberetur intentum, nempe impossibile esse, ut creatura creet. Quod autem virtus illa creativa posset producere omne producibile, sic probatur. Si virtutis Creativae, quae talis, specificativum & terminus, esset omne creabile, virtus creativa extendi posset ad quodcunque creabile; sed terminus & specificativum virtutis Creativae, quae talis, est omne creabile: quod probatur. Idem quod potest reddi pro ratione formali, quare DEUS creaverit hoc quod creavit, potest reddi pro ratione formali, quare Creatura habeat vim creandi, supposito quod aliquid crearet, idem inquam pro ratione formali reddi posset, quare Creatura creaverit. Sed id quod redditur pro ratione formali, quare DEUS creaverit hoc, quod creavit, est tale, ut notet omne creabile, esse terminum & specificativum sui; Ergo etiam omne creabile erit terminus, & specificativum potentiae creativae. Major probatur. Ratio formalis, quare DEUS creaverit hoc quod creavit, est, quia hoc produxit ex nihilo; sed etiam si creatura crearet, idem pro ratione formali redderetur; si enim pro ratione formali, quare hoc creaverit creatura, non redderetur, quia produxit ex nihilo, tunc aut creationis non esset haec definitio, utpotè non conveniens omni definito, aut illa creatura non crearet, cuius scilicet actioni, definitio creationis non competere. Quod autem id, quod redditur pro ratione, quare aliquid DEUS creaverit, sit tale, ut notet DEUM pro termino suae potentiae habere omne creabile, ex eo probatur, quia cuicunque creabili applicari potest, quod sit producibile ex nihilo. Quod ipsum totum ulterius sic colligitur. Quia pro ratione formali, quare Petrus sit homo, redditur, quia est animal rationale, quae etiam ratio redditur, quare Paulus sit homo, quia inquam hoc pro ratione formali redditur, bene inferitur. Ergo ad quidquid se extendit homo, extendit se animal rationale: Ergo etiam ex hoc, quia idem pro ratione, quare aliquid DEUS creaverit redditur, ac quare Creatura creaverit; nempe, quia produxit ex nihilo, bene inferitur, quod ad quidquid se extendit potentia Creandi Divina, ad idem se extendat potentia Creativa.

RESPONDEBIS 1. Absurdum esse, si sit creabile aliquid, quod Deus creare non possit; absurdum autem non est, si creabile aliquid, potentia creativa creata creare non possit. *Hac Responsio*

† 9 4

Non

NON SATISFACIT. Quia etiam absurdum erit, si sit specificativum utriusque potentiae idem, & tamē utraque ad eosdem terminos non extendatur, esse autem idem specificativum probat argumentum adlatum.

RESPONDEBIS 2. Quamvis idem pro ratione reddi possit, quare Petrus generet, ac quare DEUS, vel equus generet, quia scilicet producit in similitudinem naturae, inde tamen non sequitur, quod ad illud, ad quod se extendere potest potentia generativa Petri, ad idem se extendere possit potentia generativa equi: ita etiam ex eo, quia idem pro ratione redditur, quare DEUS, & Creatura aliquid creaverit, non recte inferretur, utramque Creativam ad eosdem terminos extendi. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. Quia generatio perfectiorum animalium debet esse ab Univoco, & in similitudinem naturae, quod non foret, si Petrus generaret equum. Hinc ipsa definitio generationis deposcit, ne Petrus generet equum, ipsa autem definitio creationis deposcit, ut qui habet potentiam creandi unum, habeat potentiam creandi aliud, sed aliter.

RESPONDERI potest tertio huic argumento sic. Quamvis pro ratione formali, v. g. reddi possit, quare det Eleemosynam Petrus, scilicet, quia est misericors; Rursus, quamvis etiam pro ratione formali, quare DEUS remittat peccata, reddi possit, quia est misericors; Inde tamen non sequitur, quod ad quidquid se extendit misericordia DEI, ad idem se extendere possit etiam misericordia Petri. Ergo ex eo, quia idem redditur pro ratione formali, quare Creatura creet, & quare DEUS creet? non sequitur, quod ad aliquid se extendit potentia creativa DEI, ad idem se extendat potentia Creativa Creaturæ. Unde ex parte quidem rationis creandi, eadem utrobique redditur ratio, sed non ex parte potentiae; cum tamen taxa terminorum, ad quos se aliquid extendere possit, debeat attendi penes potentiam, non penes definitionem alicujus rationis agendi. Sic v. g. datio eleemosynæ quinque, est definitivè largitio indigenti, neque tamen sequitur, quod dans quinque, possit dare decem; quia termini dandi non penes definitionem dationis, sed penes potentiam spectari debent. Illud quod adferebatur de homine, ne quidquam probat, quia licet verum sit, quod, ad quidquid extenditur homo, ad illud se extendat etiam animal rationale, sic etiam verum erit, quod ad quidquid se extendit creatio, ad illud se extendere debeat etiam productio ex nihilo; sed inde non sequitur, quod Creativa utriusque, æquè sint ampli termini.

Septima IMPLICANTIA est Amici, eundem ferme medium terminum cum priori, sed alio modo proponens. In ratione non entis simpliciter, tam est non Ens homo, quam est non Ens Angelus, quamvis differant in ratione talis ac ta-

lis non entis, penes talem vel talem terminum negatum; sed Virtus creativa non attingit ens ex non ente tali, sed ex non ente simpliciter; & hoc ideo, quia nullum ens simpliciter supponit, sed solam non repugnantiam terminorum ad existendum.

CONFIRMATUR. Non potest dari intellectus determinatus ad unum intelligibile, habet enim pro objecto formali Ens ut Ens; sed etiam vis Creativa habet pro objecto Ens ut Ens, & hoc ideo, quia habet pro objecto, non Ens simpliciter; Ergo sicut intellectus determinatus ad unum, non est possibilis, sic nec erit possibilis potentia Creativa, determinata ad unum.

RESPONDETUR. Utraque hæc propositio illic deficit, quod primò probandum fuit: Nego enim, quod absolute quamcunque non repugnantiam terminorum supponat potentia Creativa, sed dico quod possit supponere non repugnantiam terminorum talem, eò, quod non repugnet potentia determinata creandi nonnisi Leonis, supponensque non repugnantiam terminorum determinatam, quæ est Leo. Confirmationis etiam Minor probari debuisset. Ad paritatem quod attinet, Antecedens ipsum non est demonstrabile per multos; consequentia etiam non tenet, quia si concedatur, intellectus, quod possit terminari ad omne cognoscibile, non sequetur quod terminari non possit ejus cognitio ad cognoscendum seipsum, nec ulla est illi primitas, ratione cuius se cognoscere non possit. Jam autem si concedatur, quod potentia Creativa creatura, possit quodcunque creabile producere, cum seipsum producere non possit, hæc ipso sequitur non posse illum producere quidcunque creabile: & sicut quamvis non detur intellectus, qui noscat nonnisi aliqua, inde tamen inferri non potest, non dari potentias, quæ aliqua tantum possint: ita nec inferretur ex eo, quod intellectus noscat Ens, quia Ens, non posse dari creativum, nonnisi determinatorum.

Punctum Difficultatis 3.

Quid tenendum.

DICENDUM est primò; *Non esse possibilem Creaturam, cui tanquam causæ principali competere possit Creare.*

PROBATUR primò Conclusio Auctoritate S. Thomæ, Consensu communi Theologorum, & SS. Patrum; qui titulum Creatoris, tanquam soli Deo debitum tribuunt: Ergo non possibile per illos, ut Creatura creet tanquam causa principalis.

PROBATUR secundò. Possibile est aliquam actionem ad extra, ita esse DEO propriam, ut ex genere suo, nulli alteri communicari possit. Item possibilis est actio ex genere suo ita alta, ut oblimitationem & dependentiam creaturæ, non

non possit naturaliter eidem competere, quæ enim in hoc implicantiæ: Sed hæc actio, ita appropriata DEO, nulla alia est nisi creatio, quia species actionum universaliter sunt tantum duæ,eductio & creatio; una enim dicit producere ex nihilo, alia non producere ex nihilo: Ergo cum eductio non sit appropriata soli DEO, ut aliunde scitur, actio ita appropriata erit sola creatio. Hæc probatio maiorem quidem non demonstrat, suppositò tamen sensu communiori Doctorum sufficienter probat intentum. Posset etiam per hoc probari major; Datur esse DEO ita proprium, perfectiones item secundariæ ita Deitati adstrictæ, ut nulli alteri creaturæ competere possint. *Neque valet, si dicas, sufficere quod competat DEO, ut quancunque creaturam primò producere possit, cum tamen nulli creaturæ possit communicari, vis seipsam primò producendi. Non inquam valet, si dicas, quia etiam actionem seu eductionem sui primò non potest DEUS cuiquam communicare, neque tamen inde sequitur, quod actio eductiva sit DEO propria, neque hoc saluat quod habeat DEUS actionem sibi propriam, eductionem.* Ergo & in præsentem idem dicendum, præcipue quia hic procedit difficultas, non de assignando termino productionis, quia sit DEO proprius, sed de assignando modo, & specie actionis, Deo propriæ.

PROBATUR Tertio. Impossibilis est Creatura, quæ sit independens à DEO, & libera à Dominio illius, adeoque quodam modo emancipata; quæ scilicet nec in esse, nec in operari dependeat à DEO, & quæ hoc solo distincta sit à DEO in ratione independentiæ, quod independentiam hanc non habeat à se, sed à DEO; Quod ipsum Antec. sic prob. quia & non esset DEUS illa creatura, ut supponitur, & esset DEUS, quia ita haberet in se jus, essetque independens, pro hic & nunc à DEO, adeoque ita haberet, ut ita dicam, seipsum sui, sicut DEUS ipse habet seipsum sui, consequenter pro tunc esset DEUS. Et certè, si Petrus hodie haberet à seipso, hodie esset Deus. Ergo etiā illa Creatura, si haberet seipsum sui juris, & independentiam pro tunc, pro tunc esset DEUS: sicut enim à seipso, ita & independentia importat Deitatem. Sic probatò Antec. inferitur Consequentia. Ergo neque possibilis est creatura, quæ habeat communicatam sibi vim creandi. Probat Conseq. quia vis creativa præsupponit tanquam prius, & radicem, independentiam essendi & operandi. Ergo si independentia operandi non potest creaturæ communicari vis creandi: & sicut risibile communicari nemini potest, cui admirativum, & eo mediante, rationale, communicari non potest, quia risibile infundatur admirativo; ita nec communicari poterit creaturæ vis creandi, quia infundatur independentiæ essendi & operandi à quoquam. Antecedens im-

mediatum probatur: Illud præsupponit vis creativa in DEO, quod pro ratione formali, & tanquam principio fundativo, & virtuali virtutis creativæ adferri potest, quare scilicet DEUS habeat potentiam creandi, sicut risibilitas id præsupponit, quod pro ratione formali risibilitatis, adfertur. Sed pro ratione, cur DEUS habeat vim creandi, adferri potest non nisi independentia ejus à quoquam in operando. Ergo hæc independentia præsupponitur à virtute creandi.

RESPONDEBIS Primò. A virtute creandi præsupponi non nisi independentiam à materia in operando.

CONTRA. Quia hoc, quod præsupponitur ab aliquo, debet esse per modum prioris, & non mera definitio; definitiones enim non sunt priores definito; jam autem virtutis creativæ definitio, est independentia à materia in operando. Rursus hæc ipsa independentia in operando à materia, præsupponit tanquam Genus independentiam in operando à quoquam. Ergo cui hoc genus non competet, nec competet species, quæ est independentia in operando à materia: sicut cui non competit corpus, illi nec cõpetit animal.

RESPONDEBIS Secundò. Hic ubitas præsupponit tanquam aliquid superius Ubiquitatem, Ubiquitas immensitatem, & tamen licet non possit Creaturæ communicari Immensitas & Ubiquitas, potest communicari Hic-ubitas. Ergo quamvis Creaturæ non possit communicari independentia operandi à quoquam, utpotè exclusiva independentiæ etiam à DEO, poterit communicari independentia operandi à materia.

CONTRA. Quia hæc instantia solvi etiam debet à proponente. Indubiè enim rationes inferiores non possunt communicari, non communicatis superioribus, veris & legitimis. Directè autem ad argumentum dici potest. Hic ubitatem duo dicere, ipsam Entitatem DEI, locum extrinsecum, & negationem distantie; Hic ubitatem secundum illud prius non potest Deus cuiquam communicare, & non nisi secundum illud prius illa supponit Ubiquitatem, Immensitatem &c. non supponit autem secundum illa posteriora, & secundum illa posteriora potest esse Hic-ubitas communis Deo & Creaturæ. Et certè quod Hic-ubitatem habeat DEUS, non potest adferri pro legitima & radicali ratione, quia est ubique, nam de facto in creaturis habetur Hic-ubitas, sine Ubiquitate: hic autè quaritur de ratione formali, propria. Jam autem pro ratione formali & propria in DEO Virtutis creandi, habetur independentia ejus à quoquam in operando.

DICENDUM est Secundò. *Non esse possibile instrumentum connaturale creandi.*

PROBAT primò Amic. Instrumentum & causa principalis, debent esse in eodem genere, sed causa principalis, Creativa, quæ sit creata,

non

non datur. Ergo nec causa instrumentalis creativa dabitur. Major probatur: Calor enim est instrumentum ignis. Potentia generativa est instrumentum viventis, & similia.

RESPONDERI potest, negando maiorem; quia si potest esse in diverso genere immediato Instrumentum & Causa principalis, quia Instrumentum est accidens; causa principalis est substantia; cur non poterit etiam Causa principalis esse v. g. Deus, Instrumentalis Creatura. Rursus quamvis inductio hæc probaret aliquid de Instrumentis quæ actu sunt, non tamen de Instrumentis possibilibus.

PROBAT secundò idem. Quia si daretur Instrumentum connaturale creandi, esset illud Instrumentum Causa principalis; quia idem haberet specificatum sui, quod & Causa principalis, scilicet non ipsam entitatem creatam, in qua condistingui possunt plures rationes, sed pro specificativo haberet modum attingendi terminum, per negationem omnis subiecti.

RESPONDETUR. Non repugnare, ut idem effectus adeoque idem specificativum sit utriusque, neque enim Causa principalis definitur per aliud sui specificativum ab Instrumento. *Hinc*

Probat tertio Conclusio aliter. Si daretur virtus creativa Instrumentalis, deberet dari respectu DEI, tanquam causæ principalis, nam Creatura, ut suppono, non potest habere vim creandi, tanquam causa principalis; sed respectu DEI non potest dari vis Creativa connaturalis. Quod probatur. Quia si hæc Creatura esset instrumentum connaturale DEI; DEUS sine hoc instrumento agens, censeretur pro sua parte non connaturaliter agere: quia tunc dicitur DEUS non connaturaliter agere, quando non agit secundum exigentiam causarum secundarum, esset autem exigentia in illo instrumento, ut assumatur ad creandum.

CONFIRMATUR. Quia non potest explicari, quid sit hoc esse instrumentum connaturale respectu DEI. Nam quod asserunt; illud instrumentum habiturum se ita, sicut Lumen gloriæ, quod est instrumentum DEI, id non convincit, nam si non erit in entitate supernaturale, non se habebit sicut Lumen gloriæ; & si erit in entitate supernaturale, non erit instrumentum connaturale connaturalitate de qua hic agitur; agitur enim hic de Connaturalitate quæ sit secundum vires naturæ; & si ponas, secundum vires naturæ aliquid esse instrumentaliter Creativum: neque enim major est ratio unius, quam alterius.

DICENDUM est Tertio. *Possibile est instrumentum obediens ad creandum.*

PROBATUR, quia in hoc nulla est implicatio.

OBJICITUR primò. Implicat per Nos Creatura causa principalis, & instrumentalis creativa; Ergo & Obedientialis.

RESPONDETUR. Negando Consequen-

tiam, quia potentia Obedientialis potest se extendere ad ea, immò & debet, ad quæ se non extendit natura. Deinde, causa Obedientialis cum non agat viribus propriis, nec debet habere fundamentum illarum virium; si autem potentia creativa principalis competeret Creaturæ, deberet etiam fundamentum illarum virium eidem competere, quod cum sit independentia operandi à quocunque, quæ Creaturæ cōpetere non potest, sit ut nec vis illa competere possit.

OBJICITUR secundò. Possibilis est actio, quæ immediatè à solo DEO pendeat, & ad quam, ne obediens quidem, assumi potest Creatura; nulla autem est talis, nisi sola Creatio.

RESPONDETUR. Esse talem Creationem, sed proficiscentem tanquam à Causa principali, ita, ut solius sit DEI, tanquam Causæ principalis, agere.

OBJICITUR Tertio. Creatio non potest egredi nisi à potentia Creativa, Creatura autem non habet potentiam creativam. Ergo.

RESPONDETUR. Creaturam non habere potentiam creativam naturalem, habere obediens, supposita elevatione.

DIFFICULTAS III.

An Creatio possit esse ab aeterno.

Hæc quæstio ordinariè examinari solet ad Libros de Mundo. commodè tamen & hoc loco tractabitur, ut materia de Creatione completius discutatur. Tria hic communiter discutiuntur. PRIMò. An potuerit mundus esse ab aeterno quoad Entia permanentia. v. g. An potuerit DEUS ab aeterno creare Angelum vel hominem? Affirmant ex nostris Suar. uterque, Moli. Arriag. Ovied. contra non paucos; & ex nostris contra Tan. Valen. SECUNDò: An motus, & tempus potuerint esse ab aeterno? Affirmat Ovied. cum negasset generationes, posse fieri ab aeterno. TERTIO: An generationes ab aeterno fieri potuerint. v. g. An stupra ab aeterno applicata igni, potuissent disponi, & igniri, & tamen ab aeterno? An item Petrus ab aeterno potuisset generare Paulum, Paulus Joannem; & sic de reliquis? Negat Arriaga & Oviedo contra Pontium, sub conditione id tenentem, scilicet si infinitum non repugnet.

Punctum Difficultatis 1.

An generationes potuerint fieri ab aeterno?

DICENDUM est. *Generationes Successivas non potuisse fieri ab aeterno.* Antequam probetur Conclusio.

SUPPONO I. Quòd in generatione illa v. g. hominum, necesse sit devenire, licet non per finitas

mensuras, ad aliquem, qui non sit genitus, sed immediate à DEO productus.

RATIO. Quia illa collectio successivæ generationis est ens ab alio; nec enim est DEUS; si est ens ab alio, vel omnes illi homines à seipsis producuntur vel generantur, vel non omnes: si non omnes, & tamen ab alio, Ergò deveniendum est ad aliquem, qui immediate sit à DEO; si autem omnes illi à seipsis producuntur, Ergò non deveniunt ad aliquem, qui solus immediate à DEO procedat; quod fieri non potest: quia alias daretur processus in infinitum in causis subordinatis, nec deveniunt unquam in cognitionem primæ Causæ, quia non esset devenire in cognitionem ejus, qui primò posuerit eum, à quo generationes primò factæ, vel certè, si non est ullus, qui immediate à DEO processerit, deveniendum erit ad hoc, ut aliquis sit genitus ab eo mediatè quem genuerat, quod repugnat. Quod ipsum probatur. Sint v.g. decem homines, de quibus sit vera propositio: sunt percussus, ita ut nemo ab alio, qui sit extra hos decem, percussus sit, tunc necessariò devenire erit ad aliquem, qui percussus sit eum, à quo percussus est: & quod propter formandam imaginationem de numero finito dictum est, idem ad infinitas illas generationes transferri debet, quòd scilicet, si verum est, omnes esse genitos, & neminem productum ab alio, qui sit extra omnem illam infinitam generationem, devenire erit ad eum, qui sit genitus ab eo, cujus ipse antececessorem genuerat.

RESPONDEBIS primò ex Pontio. Dari posse processum in infinitum in causis non subordinatis essentialiter, quamvis non detur in subordinatis essentialiter.

CONTRA. Etiam in causis non subordinatis essentialiter dato processu in infinitum, deveniri debet ad aliquem, qui sit primus non genitus, propter argumentum factum, nisi velis illum primum fuisse genitum ab eo quem genuerat. Deinde Philosophus universaliter negat, dari processum in infinitum in causis subordinatis, arguitque impossibilitatem ex ipsa illarum infinitudine, quæ utrobique reperiretur. Nec est major ratio de causis subordinatis essentialiter, quam non subordinatis essentialiter, Ergò si in illis non datur processus in infinitum, nec in istis dabitur: quia absurdum est finitum effectum pendere à causis infinitis, quamvis non subordinatis essentialiter.

RESPONDEBIS secundò ex eodem. In æternitate à parte post, si darentur generationes, non posset DEUS assignare, & videre ultimum hominem, ex infinitis, successivè producendis. Ergò nec potest videre primum in æternitate à parte antè.

CONTRA. Ne videat DEUS ultimum in æternitate à parte post, est hoc de exigentia æternitatis, à parte post; si enim esset illic ultimum,

clauderetur illa æternitas à parte post, non quæ jam ulteriùs progredieretur. Quod ipsum ulterius, ne retorsioni pateat, sic proponi potest. Æternitas à parte post, est talis naturæ, ut nunquam de illa verum sit dicere, jam nunc est æternitas à parte post. Quidquid enim jam illam sequeretur, esset jam post æternitatem à parte post, hoc quæ ipso illa æternitas à parte post; quia post æternitatem à parte post, nihil potest sequi; quia æternitas à parte post, debet complecti omnes mensuras à parte post. Quia autem de eo, quod est ab æterno à parte antè, dici potest, jam est ab æterno, bene etiam in illo, & sine repugnantia ostendi potest, quòd sit immediate à DEO productum. Unde etiam videt Pater æternus Filii sui ab æterno productionem immediatam, quamvis non videat filii sui productionem ultimam à parte post.

SUPPONO secundò. In ordine ad negandum, quòd dari possint generationes successivæ ab æterno, ponendum est, quòd non eodem instanti, quòd producitur id quod est ab æterno, quòd inquam non in eodem instanti, producat effectum, quia hoc non esset generatio successiva, quam hic impugnamus, sed plurius entium ab æterno coexistentia; de quo infra.

SUPPONO Tertiò. Quòd non hic quaeritur: An DEUS ab æterno successivè possit producere entia, quæ sibi succedant? hoc enim spectabit ad sequens punctum, sed inquiritur: an generatio, quæ & qualis de facto successiva datur, poterit fieri ab æterno. *Hic suppositis*

PROBATUR Conclusio. Quando v.g. gallina A. primò à Deo ab æterno producta, excluderet ovum, & ex ovo generaret gallinam B; ante generationem gallinæ B. vel duravit gallina A. spatio finito vel infinito; si duravit spatio infinito. Ergò illa generatio gallinæ B. non est facta ab æterno, quod tu assumebas; siquidem illius generationem præcessit spatium infinitum, cum tamen æternitatem, antè, nihil præcedat, utpotè omnem mensuram à parte antè complectentem; Si duravit spatio finito gallina A, ante generationem gallinæ B. Ergò gallina B. non est ab æterno; siquidem æternitatem antè, nihil, etiam finitum præcedere potest. Ergò ulterius non est productio facta gallinæ A ab æterno, quia productum ab æterno, producta in tempore debet antecedere spatio infinito, hoc ipso enim non esset ab æterno, si finitè non nisi distaret à tempore. Supponitur autè generatio illa gallinæ B. propter dicta, & dicenda, facta esse in tempore.

CONFIRMATUR Conclusio. Illa generatio successiva ab æterno, vel habet posterius & prius, vel non habet? si non habet? successiva non est, si habet? quæro, antequam sit posterius, vel est successivum, vel non: si antequam sit posterius, est successivum sine succedente. Ergo ulterius definitè successivum est solum prius; siquidem dum est solum

olum prius, jam reperitur definitum, quod est successivum: Si autem antequam sit posterius, non est successivum: cum jam est posterius, quæro de illo posteriori, vel est ab æterno, vel non; si non est ab æterno: Ergo non successit ab æterno, adeoque nec successio æterna: Si est ab æterno illud posterius, Ergo prius, quod etiam complet rationem successivi, non est ab æterno: quia duratio prioris & posterioris non sunt commensurabiles, & si posterius ab æterno prius non erit ab æterno: alias commensuratum durationem haberet. Ut autem prius non sit ab æterno, si posterius est æterno, implicat in terminis.

OBJICITUR 1. Quamvis verum sit, quod immediate à DEO gallina v. g. producta, sit prior quacunque determinata generatione, non est tamen verum, esse priorem omni successivæ generatione, collectivè acceptâ. Quod probatur. Quamvis sit vera hæc propositio in sententia Aristotelis, post quamlibet divisionem in partes quantumvis minimas, possibiles esse alias divisiones, tamen falsa est hæc Consequentia: Ergo post omnes divisiones hujus continui, possibilis est alia. Rursus vera est hæc propositio: quilibet numerus finitus, habet alium numerum finitum excedentem; Ergo omnes numeri collectivè sumpti, habent numerum excedentem. Ergo etiam ex hoc antecedenti: Creatura immediate à Deo producta antecedit omnem generationem distributivè acceptam, non sequetur, quod antecedit omnem collectivè acceptam.

RESPONDETUR adferendo disparitatem. Quia in adlatis exemplis reperitur absurdum, nullum autem est in consequenti. Quod ipsum probatur: quia in partibus collectivè acceptis continentur omnes partes possibiles, in numero item finito collectivè accepto continentur omnes numeri finiti, adeoque, si aliquid restaret supra collectionem numeri finiti, restaret aliquid supra id, quod est etiam in tota collectione numeri finiti, adeoque restaret aliquid supra seipsum: item in omnibus partibus divisibilibus collectivè acceptis, continentur partes omnes, si ergo adhuc essent divisibiles supra, quam essent divisibiles. Jam autem in generatione illa successiva ab æterno, non contineretur id, quod supponitur immediate productum à DEO. Hinc, si ponatur illud immediate à DEO productum, esse prius omnibus aliis generationibus collectivè acceptis, non supponetur prius seipso. Denique non arguitur hic ex eo, quod singulis genitis sit prior gallina immediate à DEO producta, esse etiam priorem omnibus collectivè acceptis; quod, amen solum adstruere videtur objectio adlata: quando autem teneat consequentia à distributione ad collectionem, dictum in prima parte, ubi probatur DEI existentia.

OBJICITUR 2. Possibilis est generatio æterna à parte post: Ergo etiam possibilis erit generatio æterna à parte antè.

RESPONDETUR. disparitatem esse; quia si concedatur prius & posterius in generatione æterna à parte post, nullum esset absurdum; nec enim pro absurdo inferri potest, aliquid ex illis non esse æternum, cum pro concessio detur, nihil esse illud æternum, si autem concedatur prius & posterius in generatione æterna à parte antè, sequetur absurdum, ut dictum supra.

OBJICITUR 3. Ponamus stupam applicari igni ab æterno, cum ignis sit causa necessaria, eodem instanti, quo ponetur cum stupâ, igniet stupam. Idemque ad imaginationem promptius fiet in pyrio pulvere. Ergo generabit ab æterno ignem. Itè ponatur lapis ab æterno suspensus in aère, descendet deorsum ab æterno, qui modus est successivus &c. Ergo aliquid successivum potest dari ab æterno. Angelus item creatus ab æterno posset unam cognitionem post aliam exercere, quo in eventu, daretur successio cognitionum.

RESPONDET OVIEDO, ab igne non comburendam stupam ab æterno, idem dicendum de pyrio pulvere, lapide, &c. RATIO: quia hoc ipso, quod DEUS velit creare stupam ab æterno, decernet independentem à quocunque contrario, exigente illius corruptionem, conservare illam per æternitatem: comburi itaque non poterit, nisi in tempore; quod tempus incipere citius & citius potest, ita ut nullum sit assignare tempus, quo citius igni non potuerit, quia res æterna à parte antè potest hoc vel illo tempore, vel instanti finire. Addit non posse dici, quod ignis comburat stupam primo instanti, quo posset; posset enim citius & citius.

Punctum Difficultatis 2.

An Motus & Tempus potuerint esse ab æterno?

DICENDUM est. *Motum successivum & Tempus non potuisse esse ab æterno.*

PROBATUR primò. Restaurando argumenta, quibus responsionem attulit OVIEDO.

Primum ARGUMENTUM est. In motu successivo necessariò debent dari partes priores & posteriores, tunc quæro, illud prius vel antecessit id, quod est posterius, æternitate, vel antecessit non nisi tempore? si antecessit æternitate? Ergo motus ille non fuit ab æterno successivè fluens; si antecessit tempore? Ergo posterius illud non fuit ab æterno, nec etiam prius illud fuit ab æterno; siquidem antecessit non nisi tempore, quod non est ab æterno.

RESPONDET OVIEDO. Quod nulla pars motus fuerit ab æterno, sed inde non sequitur motum non fuisse ab æterno, quia etsi quilibet illius pars fuerit in tempore, ante illam potest assignari

gnari alia prius tempore existens; & sic in infinitum alia & alia prior, ratione quarum partium, motus dicitur ab aeterno esse.

CONTRA. Tum quia, si nulla pars motus successivi potuit esse ab aeterno, nec motus ipse successivus, potuit esse ab aeterno. Quod ipsum probatur. Si partes hominis non potuissent esse ab aeterno, nec ipse homo potuisset esse ab aeterno; Ergo & in presenti idem dicendum. tam enim essentialiter homo constituitur suis partibus, quam motus successivus, suis. Tum quia eodem jure respondendi dici posset, etiam generationes posse esse ab aeterno; quia etsi quilibet fuerit in tempore, potest tamen ante illam assignari, prior & prior generatio, & tamen posse esse generationes ab aeterno. Negat Oviedo. Tum quia ex eo tantum salvaretur aeternitas motus, quia ante quemcumque motum potest assignari motus prius tempore existens, & sic in infinitum; sed hoc non potest salvare aeternitatem motus, ut probatur, quia prius & posterius in infinitum dabile, semper tamen in tempore, non adstruit aeternitatem, tempus enim non fundat, sed destruit aeternitatem.

SECUNDUM Argumentum est: Si motus fuit ab aeterno, verum erit dicere Deum non fuisse prius tempore motu. Hoc posito quaeritur? vel verum erit dicere, Deum non esse priorem omnibus partibus motus, vel certe verum erit dicere, aliquam parte priorem non fuisse: Neutrum dici potest. Non primum; quia cum aliqua illius partes factae sint in tempore; falsum erit dicere, quod Deus non sit prior illis; Non etiam verum erit dicere secundum; quia respectu quarum partium motus, non est prior Deus, adhuc continet illas partes motus in se, prius & posterius, adeoque adhuc respectu illarum, prior erit Deus.

RESPONDET Oviedo: Deum non esse priorem tempore motu ab aeterno, id tamen verificatur, non de aliquibus partibus motus, nec de omnibus partibus, sed de omnibus collectivè sumptis, quibus omnibus, hoc modo sumptis, Deus non est prior.

CONTRA. Tum quia illo Deus non est prior, quod est ab aeternitate: sed collectivè acceptae omnes partes, non sunt ab aeternitate. Ergo. Major probatur. Quia Deus est prior omni eo, quod est in tempore. Minor principalis probatur. Quia collectivè acceptae omnes partes, etiam motu ab aeterno dato, includunt eas, quae fuerunt in tempore, alias non omnes, nec collectivè acciperentur. Ergo falsum est, quod omnibus illis collectivè acceptis non sit prior, & sicut v.g. falsa est haec propositio: Discipuli omnes collectivè accepti salvabuntur, siquidem unus Judas damnabitur, sic falsa erit haec: Omnibus collectivè acceptis partibus, Deus non est prior: siquidem est prior illis, quae sunt in tempore, clauduntur tamen illa collectione. Tum

quia de illis partibus collectivè acceptis quaro; an vera sit haec Universalis, Nulla est pars, quae Deus non sit prior? si est vera? Ergo & totam illam collectionem antecedit: quod probatur: quia illa negativa Universalis est explicabilis per descensum distributivum, de singulis verificabilem. Ergo etiam verificari debet de tota collectione. Nam si verum est dicere; nullus in hoc loco est albus, verum etiam erit dicere de tota collectione, quod non sit alba. Quod si illa negativa Universalis, scilicet: Nulla est pars, quae Deus non sit prior, si inquam est falsa, Ergo vera erit Contradictoria illius; Aliqua est pars, quae Deus non est prior; quae ipsa propositio, quia non est de singulis partibus motus verificabilis, de illis ipsis redibit argumentum, quomodo sint ab aeterno, cum habeant prius & posterius. Tum quia si est Deus prior aliquibus, & omnibus partibus, quomodo non est prior, omnibus collectivè.

TERTIUM Argumentum est à pari. Implicant generationes ab aeterno. Ergo & motus ab aeterno.

RESPONDET. Disparitatem esse; quia in generationibus deveniri debet ad unum principium, à quo reliqua genita, & ipsum non est genitum ab ipsis; in motu autem, non est devenire ad prius tempore, existens prius reliquis omnibus, quae successivè fluunt.

CONTRA. In generatione est necesse devenire ad unum principium, à quo reliqua genita. Ergo in motu est necesse devenire ad primum omnium motum, cui reliqua omnia successivè, & ipsum nulli successit.

PROBATUR Secundò. Posito, quod motus ab aeterno esse posset, quaro, vel haberet adhuc prius & posterius, vel non haberet? si non haberet prius & posterius idque ab aeterno? Ergo non datur motus successivus ab aeterno; quia successivum definitivè stat priori & posteriori, quod tu dicis non dari ab aeterno. Quod si motus ille successivus habet posterius, idque ab aeterno? Ergo & est aeternus, ut supponitur, & non est, quia id quod aeternum est à parte Antè, posterius non est, nihil enim potest esse prius eo, quod est ab aeterno, & tamen motus successivus includit posterius.

PROBATUR Tertiò. Valet hoc argumentum, quod probat Oviedo: partes motus successivi, non posse esse ab aeterno; & est tale. Omnis pars motus existentis ab aeterno, habet aliquid prius existens, videlicet aliam partem: Sed omne quod habet aliquid prius, est existens in tempore: Ergo omnis pars motus existentis ab aeterno est in tempore. Ergo etiam valebit hoc argumentum; Omnis motus successivus existens ab aeterno habet prius & posterius: Sed omne quod habet prius & posterius, est in tempore. Ergo omnis motus successivus

existens ab æterno, est in tempore. Major constat definitione motus successivi. Minor ipsius est Ovidi, modus autem arguendi consimilis priori.

RESPONDET Pontius. Motum & quodcunque Ens successivum spectari posse secundum se, & omnes suas partes: ita ut quælibet illius pars sit ab æterno; & sic motus, non potest esse ab æterno, propter adlatas rationes. Deinde motus & quodcunque Ens successivum, potest esse ab æterno; quia ita se habet, ut æternitas non possit coexistere ulli tempori imaginario aut reali, cui illa res secundum aliquid sui non coexistat, quamvis non coexistat ipsi, secundum se totam.

CONTRA. Tum quia motus in ista acceptione secunda, vel habet prius & posterius, vel non habet: si non habet: successivus non est; si habet, sequentur absurda jam adlata. Tum quia quamvis ponatur, quod æternitas nulli tempori etiam imaginario coexistere possit sine hoc, quod etiam motus secundum aliquid sui coexistat tempori, tamen per hoc salvari non potest motus illius æternitas, quia & esset æternus ut supponitur, & non esset, quia coexistentia cuicunque tempori se sola non arguit æternitatem; quia in sententia Aristotelica una hora ita dividi potest, ut aliquid illius coexistat æternitati toti, & tamen ratio horæ non fundat æternitatem. Tum quia tempus etiam imaginarium habet imaginarium prius & posterius; adeoque imaginarium non fundans æternitatem; sicut prius & posterius reale fundat non æternitatem realem.

Punctum Difficultatis 3.

An Ens permanens potuerit esse ab æterno.

Titulus potest procedere imprimis hoc sensu: An creatura una vel plures ab æterno sine successione produci potuerint? Deinde, an si Deus aliquam creaturam permanentem poneret ab æterno, posset successive aliam secundam facere, & tamen ab æterno, utrumque resolveretur.

DICENDUM est. Implicare contradictionem, ut si Deus ponat aliquam creaturam permanentem ab æterno, possit successive aliam secundam producere, & tamen ab æterno.

PRIMA implicantia est. Si Deus creet Ens permanens ab æterno, vel potuisset creare aliud Ens permanens in tanta distantia, in quanta per impossibile gallina A, ex ovo B, exclusisset gallinam C; vel non potuisset creare? si potuisset, quæro, illa secunda creatura vel distaret spatio finito ab illa prima vel infinito spatio: si spa-

tio finito? Ergo nec illa prima fuit ab æterno; Siquidem ab eo quod in tempore est, non nisi finite distaret, si autem distaret spatio infinito? Ergo non stas in suppositione, quod scilicet tanta intercesserit inter utrumque distantia, quanta foret, si per impossibile gallina A ex ovo B exclusisset gallinam C, quia hæc alterationes non deponunt spatium infinitum. Si autem non potuisset creare aliam creaturam permanentem in tanta distantia, de qua hinc? Ergo multo minus potuisset illam creare successive, & tamen ab æterno. Deinde potuisset illam creare citius & citius, & citius, ita, ut potuerit eam etiam ab æterno creare si voluisset, tunc quæro, computando à tempore usque ad æternitatem, idque per infinitas mensuras, vel includeretur in illa computatione etiam dista distantia, vel non includeretur? Si includeretur? cum Deus potuerit per te incipiendo à tempore etiam in æternitate creare secundam creaturam permanentem, incidisset etiam in illam distantiam, de qua hinc; redibitque argumentum factum: si non includeret etiam illam distantiam, ergo si in illa distantia secundam creaturam permanentem producere non posset, neque posset producere ab æterno, contra quam tu assumas: sed si veniretur ad illud instans, jam in illo producere non posset, adeoque nec in æternitate, ibique finiretur illud citius, & citius, quo Deus potuisset ponere creaturam.

Nec valet, si dicas, quod in illa quidem distantia producere non posset illud secundum Ens permanens, posset tamen ab æterno, rediret enim argumentum, an illa distantia in qua impossibile est Deum creare secundam illam creaturam, distet spatio finito an infinito.

RESPONDEBIS primò. Argumentum multum probare, probaret enim etiam Verbum æternum, non esse ab æterno. Quæram enim, an in tanta distantia à productione verbi potuerit poni creatura permanens? redibuntque argumenta facta.

CONTRA est. Quia cum implicet creatura permanens ab æterno, successive tamen producta, hinc fit, quod quamvis citius & citius in tempore produci possit, non tamen produci possit ab æterno, hinc in illam distantiam, de qua procedit argumentum, nunquam incidere potuisset.

RESPONDEBIS secundò. Quod cum æternitas habeat transitum in consummabilem, quamvis citius & citius produci potuisset illa secunda creatura, non deveniretur unquam usque ad æternitatem, nam hæc habet transitum in consummabilem, consequenter non sequeretur, quod deberet incidere in illam distantiam.

CONTRA. Quia quamvis per mensuras finitas infinitum exhauriri non possit, exhauriri tamen potest per infinitas mensuras, adeoque deveniri poterit ad illam distantiam; vel si non vis for-

formari argumentum de descripta distantia, procedat de solo puncto successione.

RESPONDEBIS tertio. Illam distantiam, de qua hic non contineri in aeternitate cum sit impossibilis, & implicatoria, aeternitas autem nullum instans implicatorium continet: nec inde sequeretur, quod ab aeterno produci non potuerit prima Creatura, quia potuit produci omni distantia & instanti possibili; illa autem distantia est implicatoria. Quodsi ulterius queras, utrum illa distantia, quae dicitur implicare, finire vel infinite, distet ab aeternitate? Responderi poterit, quod cum illa distantia sit impossibilis, fore illam distantiam finitam, & non finitam, infinitam & non infinitam.

CONTRA est; quia argumentum factum, potest poni totum non de distantia illa circumscripta, sed de ipsa successiva productione. Sed urgendo argumentum secundum imaginationem positam, sic ulterius proceditur. Quod haec distantia sit quidem implicatoria, sed implicancia illius redundat in Ens permanens, successive tamen ab aeterno productum; quia tota illius implicancia est in successione, seu prioritate, & posterioritate intra mensuram aeternitatis.

SECUNDA Implicancia est. Implicat motus, & tempus ab aeterno. Ergo & Ens permanens, successive tamen productum: quia eadem implicancia pro utraque parte tenent.

DICENDUM est 2. *Possibile esse Creaturam unam, vel plures simul ab aeterno productas, post quas tamen non possint aliae poni nisi in tempore.*

PROBATUR Conclusio. Quia nulla in hoc implicancia. Solvenda implicancia.

Solutio Implicantarum.

PRIMA Implicancia est petita ex Materia de infinito & duratione. Si talis Creatura daretur, duraret per aeternitatem; si duraret per aeternitatem, duratio illius esset infinita. Sed infinitum implicat.

RESPONDETUR. Illam durationem fore infinitam, hoc est, carentem omni etiam imaginario instanti temporis, quod non fuerit, non fore tamen infinitam, ratione alicujus realis infiniti, ad cuius scilicet infinitudinem, terminata sit actio aliqua realis. Hinc actio productiva creaturae ab aeterno, erit actio aliqua terminata ad ipsam entitatem Creaturae finitam, coexistentem Deo, qui est mensura aeternitatis in praesenti. Unde hoc argumentum probat multum; nempe Deum non existeret ab aeterno, si enim existeret ab aeterno, daretur aeternitas a parte ante, quae dari non potest, quia illa aeternitas esset infinita actu, & tamen infinitum actu implicat.

SECUNDA Implicancia est posita ex dominio Dei. Si possibile esset Ens permanens ab aeterno, deberet durare per aeternitatem: quomodo enim esset ab aeterno, si per aeternitatem, quae

vocatur ante, non duraret: si autem deberet durare per aeternitatem, non posset illam Deus annihilare per aeternitatem: quod videtur absolute Dei dominio obesse.

RESPONDETUR. Creaturam inannihilabilem implicare contradictionem, ob ea, quae dicuntur in Materia de incorruptibilitate Angelorum, quia ex suppositione antecedenti est inannihilabilis, adeoque efficiens dominio Divino, quia non relinquens potestatem disponendi prout voluerit, idque non ex suppositione usus libertatis circa inannihilationem, suppositio enim libertatis non tollit libertatem. Jam autem creatura ab aeterno producta, cum potuerit produci in tempore, non ex suppositione antecedenti, habet inannihilabilitatem, sed ex suppositione consequenti, quod scilicet Deus voluerit illam produci ab aeterno, adeoque ab aeterno conservari: jam autem quod non possit Deus ab aeterno aliquid ex suppositione consequenti facere, id non officit Divino dominio. Tota ergo inannihilabilitas illius ab aeterno, est ex suppositione, quod Deus velit illam esse aeternam a parte ante, non potest autem de illa esse decretum, ut sit aeterna a parte ante, si possit destrui ab aeterno; licet illud quod non possit destrui ab aeterno, proveniat ex suppositione Decreti, ut autem illam ab aeterno & tamen liberè produxerit Deus, sufficit indifferentia in priori naturae ad producere, vel non producere.

TERTIA Implicancia est: Non potest communicari creaturae immensitas, nec omniscientia. Ergo neque duratio ab aeterno.

RESPONDETUR. Possibile est ut creaturae communicetur notitia omnium possibilium creaturarum, sed non omniter, ut ita dicam, quia illi non potest communicari comprehensiva scientia Dei, quae includitur in omniter scientia. Ad immensitatem quod attinet, si queratur; An Deus per absolutam suam potentiam facere possit, ut in quibus locis est ipse, illic etiam replicative ponatur creatura? hoc negandum potentiae Dei non est, deficiet tamen ab immensitate, quia Deus sine ulla replicatione, est ubique. Si autem per immensitatem intelligatur perfectio Dei, secundum quam coexistere potest cuicunque loco, cum haec perfectio supponat infinitatem Essentiae, quae creaturae communicari non potest, sic ut nec communicari possit immensitas, & si non repugnaret immensitas sine infinitate essentiae, non repugnaret communicari illam creaturae; non ostenditur autem necessario connecti cum infinitate essentiae, aeternitatem a parte ante.

INSTABIS. Si ponatur linea infinita ex una parte, potest Deus semper & semper, in remotiori & remotiori distantia, ponere Angelum vel hominem, nec posset ponere a nobis in tantum remotum Angelum, quin produ-

† r 2 cere

cere possit remotius distantem. Ergo nec potest esse quidquam in ante, ita productum, quin antea produci potuerit. Ergo non potest produci ab æterno: nam productum ab æterno, nihil antea produci potest.

RESPONDETUR. Quamvis in dicta linea procedendo per partes finitas possit aliquid produci antea, secus si positio commensuretur infinitati lineæ.

Petitur etiam contra hanc Conclusionem argumentum ab Auctoritate Patrum, qui arguentes contra Arrium pro principio assumebant. Verbum non esse Creaturam, quia ab æterno erat, quæ argumentatio non valuisse, si potuit esse Creatura ab æterno.

RESPONDET primo Oviedo, Patres argumentatos esse ad hominem, quia censabant Arriani nullam Creaturam fuisse ab æterno.
Hæc responsio

NON SATISFACIT. Quia ponebant Arriani aliqui, Verbum esse Creaturam, & tamen ab æterno, quomodo ergo nullam Creaturam dicebant esse ab æterno. Quod si velit intelligi Oviedo, quod scilicet nulla alia creatura fuerit ab æterno, non tenuisset Consequentia. Ergo neque Verbum, si est Creatura, fuit ab æterno; sicut enim si unum permanens in sententia Ovied. positum fuisset ab æterno, mala fuisset consequentia argumenti, ex eo non esse positum illud ens permanens, quia nullum aliud Ens permanens positum fuisset, si nec ista Patrum consequentia tenuisset.

RESPONDET secundo Amicus disp. 7. de Æternitate Dei Sect. 2. & post eum Pontius, Sanctos negasse æternitatem Creaturis talem, qualem Philosophi possibilem asseriebant, & qualis negata sufficiebat ad probandam æternitatem Verbi: nimirum negabant æternitatem necessariam, qualem Aristoteles comminiscébatur in mundo; & cum ex altera parte necessario sit productum Verbum, inferebant, Verbum non esse Creaturam, sed Deum. Quando autem Patres ex eo arguebant creaturas non posse produci ab æterno, quia cum Creaturæ sint, debent produci ex nihilo, argumentum illorum procedebat non de nihilo antecedente tempore, & positive, sed de nihilo antecedente negative, quia scilicet potuerant esse nihil.
Hæc responsio

NON SATISFACIT. Quia non salvat plenè dicta Patrum: nam supponit, quod Arriani universaliter docuerint necessarium fuisse, ut VERBUM fieret ab æterno, cum teste Athanasio. Orat. 2. contra Arrian. censuerint illud factum esse in tempore. Deinde has & taliter negant PP. posse fieri Creaturas ab æterno, quas & qualiter affirmabant Arriani. Non affirmabant autem posse illas fieri necessario, quia non agnoscebant Deum necessario agentem ad extra.

Ut verum fatear, majus robur argumentum Patrum habuisset, si posset à nobis demonstrari. Major hæc: Impossibilis est Creatura æterna. Ut tamen robur argumenti Patrum tueamur.

SUPPONENDUM est. Quod secundum varia tempora Arriani mutarint suam sententiam. Nam Primus Arrius dixit, Verbum esse Creaturam, genitumque ex Non existentibus, hoc est in tempore, & non ex substantia Patris. Rursus alii volebant Filium appellare creaturam, dicebantque Deum esse, sed Minorem. Deinde alii negabant habere similem naturam cum Patre, ne identitatem agnoscerent. Postea asseriebant esse similis Naturæ, alicuiusmodi Naturæ intelligendo: quia scilicet similitudo est semper inter distincta. Psathyriani autem agnoscebant Filium esse ab æterno, & ante omnia secula. Hoc supposito:

RESPONDETUR tertio, argumentum hoc: Nulla Creatura est ab æterno, Verbum est ab æterno, Ergo Verbum non est Creatura, argumentum, inquam, hoc non urisse Arrianos omnes, sed hos qui castigatius loquentes, volebant asserere Christum esse creaturam; nam Minor & Major erat illorum, concessâ autem consequentiâ instabant Patres. Quicquid est, vel est Deus, vel Creatura. Ergo cum Verbum, ex concessis, non fuerit Creatura, & fuerit ab æterno, Deus erat. Suar. autem dicit, Majorem illam processisse de eo, quod erat de facto, non de eo quod fieri potest de potentia absoluta. Denique assumebatur tanquam articulus Fidei. Nihil Creatum est ab æterno.

QUÆSTIO II.

De Conservatione.

QUÆRES I. Quid est, & quomodo distincta sit Conservatio? Nomine conservationis, omnes communiter accipiunt continuatam rei productionem. Hinc differt à prima productione; quia prima productio supponit non præhabitu antea, esse, Conservatio autem supponit præhabitu esse. Quod autem attinet ad distinctionem conservationis.

ASSERO I. Conservationem creaturæ immèdiatè à solo Deo sine interventione miraculi præsentiam, non esse distinctam modaliter.

RATIO. Quia neque ipsa Creatio est distincta modaliter.

ASSERO 2. Conservationem, quæ causæ creatæ, una cum Deo, conservant aliqua, ut cum conservat ignis calorem, quem in se emanat, objectum species, Sol lucem, involvere connotatam modalitatem.

RATIO est; quia etiam productio talium, involvit connotationem modalitatis.

ASSERO

ASSERO 3. *Possit quidem dici, quod Creativus concursus, quo conservantur à Deo accidentia Eucharistica, sit distinctus à re conservata.*

RATIO. Quia potest esse entitas accidentium, & non esse sic conservata, id tamen non adeo certum est, ut patebit solutione Objectionum.

Contra assertum Primum DICES PRIMò. Si conservatio non est quid distinctum, à re conservata, non erit explicabile, quomodo Deus possit res annihilare: non enim potest res annihilare per actionem positivam, cum annihilatio nihil efficiat; non per subtractionem conservationis, quia hæc nihil est, præter ipsam rem, prout continuatè existenter; quid ergo subtrahit, ut vi illius subtractionis, censeatur creatura annihilari.

RESPONDETUR. Deum annihilare per subtractionem concursus indistincti, quæ subtractio concursus nihil aliud in re est, quam actus voluntatis Divinæ, terminatus ad non esse Entis, quod habuit esse. Imò ita melius salvatur, quomodo posita subtractione concursus, immediate res annihiletur, aliàs enim tunc annihilatio immediate terminaretur, ad non esse concursus, mediatè ad non esse Entis; per nos autem, immediate terminatur, ad non esse Entis. Quòd autem immediate & in eodem signo rationis, quò ponitur annihilatio, debeat esse desinentia esse, ratio est; quia hoc ipso, non esset annihilatio, & non esset desinentia esse. Cæterum quando Deus vult annihilare rem, quam conservabat, eadem conservatione, quâ illam Creatura conservabat, tunc illa voluntas annihilandi, est virtualiter duplex, scilicet & annihilandi concursus, & annihilandi rem, quamvis enim, qui vult annihilare entitatem conservativæ causæ, realiter etiam velit annihilare rem conservatam; consequenter in illo priori, sublato concursu conservativo, realiter res jam non est, ad salvandas tamen melius formalitates annihilationis, immediate explicatas, debet poni actus voluntatis, ratione nostrâ, æquè primò utrumque volens annihilare.

DICES SECUNDò. Si in aliquo casu, conservatio, non est quid distinctum à re conservata, tunc pro ratione formali, quare aliquid annihilaretur, nihil posset dari, quod ipsum probatur. Ratio enim, quare aliquid annihilatum sit, est, quia illi subtractus est concursus conservativus: si autem quæretur, in quo consistat hæc subtractio concursus? dices, quia res perit; adeoque dabis pro ratione, quare res perierit, quia perit.

RESPONDETUR. Quòd rationes formales, non sit necesse semper condistinctas in re assignare, sed sufficit illam assignare sub alio conceptu immediato, quantumvis postea in re indistincto, ab ipsa entitate rei, de qua quæritur. Sic v.g. si quæras, quare Petrus sit individuum? Respondabis, quia est hæc cœfata substantia; Si quæras, quare sit hæc cœfata substantia? tandem post

multa respondebis ad hoc, quia Petrus est Petrus. Deinde interrogando, quare res perierit? recurri debet ad nolitionem conservandi, ad quam sequitur, ipsum rei perire.

DICES TERTIò. Si Deus non esset omnipotens, & tamen vellet meam operationem non esse, non sequeretur, hòc ipso meam operationem non esse. Ergo ratio annihilationis non debet in voluntatem Dei referri.

RESPONDETUR. Si Deus non esset omnipotens, modò esset à voluntate Dei dependentia essentialis creaturarum, non essent creaturæ, defectu, solius voluntatis Divinæ; licet si non concedatur hæc dependentia, quamvis vellet Deus rem non esse, esset tamen, cur enim periret. Unde est disparitas, Cur si Deus vellet fieri aliquid, & non esset omnipotens, nihil fieret; si autem non esset omnipotens, haberet tamen dependentiam ab ejus voluntate res, annihilaretur, si Deus nollet illam esse. Quia in omni positione rei, debet aliquid produci, sola autem voluntas, sine adnexa executiva, nihil producit; jam autem, quia annihilatio nihil producit, non est necesse, ut habeat adnexam sibi aliquam executivam. Immeritò etiam imaginatur objectio, non poni à nobis concursum conservativum, ponitur enim, sed indistinctus à re pendenti ab omnipotentia; sicut & creatio proficiscitur ab omnipotentia, licet non sit quid distinctum à re creata.

Contra Assertum tertium, DICES PRIMò. Quotiescunque duo ita se habent, ut uno variato, maneat invariatus aliud, illa debent distingui nemine cogitante; sed ita se habet res in præsentia; quia eadem accidentia invariata, quoad entitatem manent, & tamen variatur actio, quia antea, cum erant accidentia in substantia panis, conservabantur actione eductivâ, nunc conservantur actione Creativâ.

RESPONDETUR. Illa accidentia invariata manere quoad entitatem, variata autem, quoad connotata: nam quando à solo Deo conservantur, dicunt negationem influxus aliarum causarum, quam alias non dicebant.

DICES SECUNDò. Implicat fieri transitum ab uno Contradictorio, ad aliud, sine sufficienti mutatione. Sed nisi conservativus concursus, prout hic de illo agitur, esset condistinctus, non ostenderetur sufficiens mutatio. Quod probatur. Quia nulla fit mutatio in entitate, neque etiam in Causa, vi cuius mutationis nunc à solo Deo dependeant, & non ante. Ergo.

RESPONSUM. Mutationem fieri ratione negationum, quia scilicet antea non dicebant accidentia negationem dependentiæ ab aliis, præter Deum, Causis, quam dicunt in Eucharistia. Quæ negatio oritur propter non esse influxus Causarum secundarum, qui influxus desinit, & tamen manet esse Accidentium; habet tamen

men concursus ille positivitatem, inclusam in ipsis accidentibus, à quibus indistinguitur.

INSTAT AMICUS. Nova connotatio, intelligi non non potest, absque nova mutatione.

RESPONDETUR. Verum id esse, sed mutatio hæc non debet esse semper in entibus, ut dictum alibi.

DICES tertio. Quando definit concursus causarum secundarum, vel definit etiam concursus Dei, vel non definit? sed tantum novam formalitatem acquirit, quam antea non habebat: Si definit concursus Dei, & alius illi novus succedit, Ergo debet esse distinctus entitativè; quomodo enim succederet, si novam entitatem non adferret, hocque ipso non succederet, quia nihil esset, quod succederet. Si autem non definit concursus Dei, sed idem manens, acquirit formalitatem Creativi concursus, quam antea non habebat, Ergo idem quod erat naturale, fieri potest supernaturale, nam ille concursus est supernaturalis. Ergo ulterius duplici concursu Deus conservat formas eductas; uno quidem, qui identificatur ipsi concursui creaturarum, & qui perit concursu creaturarum pereunte, & alio, qui manet pereunte concursu creaturarum.

RESPONDETUR. Cum concursus Dei, quo antea ad illa accidentia conservanda concurrerat, sit idem realiter cum concursu creaturarum, illo creaturarum concursu pereunte, etiam ille concursus Dei perit; qui autem succedit illi creativus, non succedit propriè, quia successio propria, importat novam adlatam entitatem, sed succedit impropriè, quia scilicet ponitur tunc concursus identificatus realiter ipsi entitati, sed non habens formalitatem concursus, nisi in circumstantia negationis concursus aliarum causarum; quæ negatio, tum primum habetur. Ad eum planè modum, quo præcisâ ulnâ, partes ultimæ, præcisæ incipiunt habere formalitatem terminorum, in circumstantia negationis ulterioris extensionis, quæ de novo pullulat. Quamvis hi ipsi termini sint identificati realiter, præexistenti ceteroqui entitati, estque ille concursus supernaturalis, non ratione alicujus positivi, sed negativi, nempe esse habiti, in circumstantia negationis concursus conservativi, creati.

DICES quartò. Actio Creatæ malè explicatur per hoc, quia res est, & alia non concurrunt: Ergo etiam & actio creativa, malè explicatur per hoc; quia res est, & creaturæ non concurrunt.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia dabilis est casus, quo verè actio Creatæ est, & tamen non dicit negationem concursus aliarum causarum, ut si omnes possibiles causæ ad eundem effectum concurrant, non est autem dabilis casus, quo res sit & non sit dependens à cau-

sis creatis, nec tamen conservetur creativo concursu.

INSTABIS. Possibilis est creatura obedientialiter creativa. Ergo sicut actionis creatæ, mala est explicatio, quod sit effectus, & non dependens ab aliis causis creatis; ita mala erit & creationis, quia possibile est eundem effectum à Deo & creatura creati.

RESPONDETUR. Per nos non definitur actio creativa, quod sit actio, vi cuius effectus sit, & non sit dependens ab aliis causis creatis, & si ita definiretur, benè argueret instantia: nam potest etiam creatura creare; Sed per nos si Deus & creatura crearet, convenirent in hoc, quia utraque produceret ex nihilo, differret autem in hoc, quia creatio à solo Deo profecta, nec esset modalitas, nec connotaret modalitatem; jam autem creatio à creatura profecta, non sine modalitate esset quod innui de creatione q. i. d. i. ante continuationem solutionis.

DICES quintò. Conservatio profecta à causis creatis est distincta. Ergo & creativus concursus Divinus.

RESPONDETUR. Disparitatem esse; quia nulla potest mutatio assignari, ratione cuius transeat creatura à non esse conservantis ad esse conservantis, jam autem negatio concursus creaturarum causarum, re tamen permanente, sufficit ut dicatur; quod accidentia creativo concursu conserventur.

QUÆRES 2. An quæcunque res immediate in suo conservari pendeat à Deo?

ASSERO. Quid sic.

RATIO. Tum quia, si non penderent in suo esse, & conservari à Deo, essent entia à se, adeoque in conservari non creaturæ; quæ formalitas creaturarum in conservari, melius salvatur per immediatam conservationem. Tum quia nihil producit, quod simul concurrente immediate non producat Deus, Ergo etiam immediate conservat. Tum quia non posset explicari, quomodo sit in potestate Dei, omnia annihilare, nisi ponatur, quod immediate omnia conservet.

QUÆRES 3. An Creatura etiam seipsas conservet.

ASSERO. Quid non.

RATIO. Quia non causant seipsas; Ergo nec conservant.

ADDO. Et non sunt multiplicandæ causæ conservativæ sine necessitate.

QUÆSTIO III.

De Concursu Dei.

DURAND. & post eum DOLA Capucinus, censent, Deum immediate non concurrere in actiones creaturarum, sed solum mediatè, conservando illarum vim causativam. Communis opinio

opinio est in oppositum. Tum quia Deo concedendus est modus perfectissimus agendi, immediatus autem agendi modus, est perfectior. Tum quia, sicut Deus potest annihilare effectum productum immediate, ita poterit & ipsam ejus productionem, sed ipsum effectum immediate annihilare non posset, si immediate ab illo non penderet. Ergo nec actionem, si ab illo immediate non penderet, si autem immediate penderet effectus, immediateque annihilabilis est, penderet etiam actio, immediateque annihilabilis erit. Tum quia in nulla ratione debet creatura esse immediate à se, si autem immediate non penderet actio à Deo, immediate esset à se. Nec obstat, quod contineat totum esse & perfectionem actionis in se, causa, hoc enim, quod etiam in se habet actio, non debet esse independens à Deo. Concesso autem concursu immediato Deo, non est necesse excludere concursum aliarum causarum, quia multa se solo non potest præstare in eodem genere Deus, ut generationes, actiones vitales &c. & sicut entia creata non spoliatur virtute agendi, quam in illis ponit, & ratio & experientia, sic nec spoliari debent immediata etiam actione. Sed possibilisne creatura, quæ operari possit immediate Deo non concurrente? Ariag. & Hurt. censent, se in hoc non videre repugnantiam. Ovjed. & recentior Suar. censent id repugnare, quod probabilius. Quia impossibilis est creatura, in aliqua ratione, pro statu Physico, independens à Deo, & si sit possibilis dependentia à Deo in omnibus, & si hæc perfectio non repugnat Deo, danda erit eidem, & hæc excludet possibilitatem talis creaturæ. Porro concesso immediato concursu Dei cum creaturis, dicimus utramque causam in suo ordine esse totalem, cum causis tamen materiali & formali non concurrat in eodem genere, ob imperfectionem utriusque hujus causæ; His præjactis, Sit;

DIFFICULTAS I.

An Deus concurrat immediate ad peccatum?

Difficultas hæc nascitur ex suppositione facta, quod scilicet Deus ad omnes actiones creaturarum concurrat; nam contra hanc conclusionem hoc inter alia proponitur argumentum. Quia si concurrat Deus immediate ad omnes actiones. Ergo concurrat etiam ad peccaminosas; si concurrat etiam ad peccaminosas; Ergo est causa peccati. Sed hæc difficultas retorquetur suo modo in oppositos: Cur non enim Deus sit causa peccati, si mediate ad

illud concurrat, cum mediate concurrere, non excuset à peccato? & sic consilium dantes & propinantes per alium venenum, mediate concurrunt, & tamen sunt causa peccati. Sed hujus Difficultatis solutio translata ad Materiam Theologicam, de Peccatis, ubi diximus: Deum concurrere quidem, & quidem immediate ad peccata, non esse tamen causam illarum, quia non agit cum inclinatione &c.

DIFFICULTAS II.

An Concurfus Dei cum Creaturis, sit quid concomitans?

DICENDUM est, Concursum Dei cum Creaturis, non esse quid concomitans. Supponit hæc Conclusio communem doctrinam nostrorum, quod concurfus Dei in actu secundo, sit idem realiter cum concursu & actione creaturarum.

RATIO, quia si non per eundem concursum effectus penderet à Deo & à causa secunda, vel penderet per aliquam antecedentem actionem Divinam, & hoc non, quia nihil potest ostendi antecedens, quod respondeat illi actioni, cum tamen actioni non possit non respondere aliquid; Non etiam aliquid consequens, quia jam omnia acta inveniret; Non etiam aliquid concomitans, ut jam contra Pontium & Scotistas probabitur. Ergo debebit idem esse omnino cum actione creaturarum; Hinc jam:

PROBATUR primò Conclusio. Si concurfus Dei esset quid concomitans, ex eo esset, quia scilicet exhibitio illius, non pender ab uno principio, sed à duobus, & sic idem diceret Pontius, quod nos, licet aliis verbis; vel certe ideo esset concomitans, quia eliciente creatura suum influxum partialem, alium influxum eliceret Deus, & hoc non, quia nulla necessitas multiplicandi partialitates illorum influxuum, ut patebit solutione argumentorum.

PROBATUR secundò. Respectu illius actionis creaturæ, formaliter acceptæ, non datur ullus concursus concomitans, quò producat ipsa actio & influxus agentis creati; Ergo nec erit necesse dari alium influxum concomitantem, quo ipse effectus producat; & tamen quæ rationes oppositorum militent pro consequenti, militent etiam pro antecedenti, hinc, si pro antecedenti non valent, nec tenebunt pro consequenti.

PROBATUR tertio. Iste modus concurrenti per concursum concomitantem est indignus Deo, quod sic probatur. Antequam Deus, applicet concursum suum concomitantem, vel novit quid sit actura creatura, vel non novit? Si novit. Ergo jam supponitur effectus, antequam concomitans ille concursus Divinus accedat.

cedat. Ergo ulterius est indignus Deo, quia non est tolerabile dicere, in aliquo priori posse, supponi effectum, quem Deus non producat; Si autem non novit quid sit actura creatura. Ergo temerè concurrat. Et sic v.g. Si ego dicam volo agere, quod agit Petrus; si nesciam quid sit acturus, temerè id dico, & si coincidam in idem cum illo, merus erit casus, qui respectu Dei non datur. Si autem agat Deus per concursum identificatum, non potest supponi applicans suum concursum ad illam actionem, cum ille concursus idem sit cum actione, directus autem à scientia conditionata, aut alia, ne temerè agat. Videatur notatum sequentis difficultatis sub finem.

CONFIRMATUR. Quia ille concursus concomitans, vel est determinatus ad unum, vel non est determinatus ad unum? si est determinatus ad unum, aufert libertatem. Tum quia concursus antecedens determinatus aufert libertatem. Ergo & concomitans, nec enim est major ratio unius quam alterius. Tum quia concursus concomitans, est inter non dico prærequisita, sed per se inter requisita agendi, ut ipsum præ antecedentiam non notet: Si est inter requisita agendi; Ergo posito illo, non potest non fieri actio, hoc ipso enim non esset determinatus; Si illo posito, non potest non fieri actio; Ergo non liberè fit. Et certè si quis antecedendo vinctum, trahat illum strictum, simul cum illo gradiendo, adhuc verè vinculat. Ergo & concursus ille, si ve antecedit, si ve sit concomitans, si stringat, hoc est, determinet ad unum, auferet libertatem. Tum quia, quando requiritur ad libertatem, ut positis omnibus requisitis possit non fieri actio, hoc intelligitur: Nullum est determinativum actionis, salvans libertatem, nisi determinatio, orta ex suppositione actionis, determinatio autem illius concursus, non est ex suppositione actionis. Pro quo recito locum August. lib. Retract. c. 22. *In nostra inquit potestate non est, nisi quod sequitur nostram voluntatem.* Hinc ex hac auctoritate formabitur argumentum à pari. Concursus antecedens & prædeterminativus aufert libertatem. Ergo & concomitans, quia ex Augustino, etiam hic concomitans non sequitur nostram voluntatem, sicut nec antecedens.

OBJICIT primò Pontius. Volitio Dei distinguitur à volitione creaturæ. Sed volitio Dei, est concursus ipsius cum creatura. Ergo concursus ipsius cum creatura, non est actio creaturæ, sed alia concomitans actio.

RESPONDETUR. Falsam esse Minorem, quia concursus Dei spectat ad omnipotentiam. Voluntas autem Dei est potius applicatio omnipotentia Dei, de quo alias. Rursus dici potest, quod volitio Dei sit concursus ipsius, qui in actu primo acceptus, est distinctus à concursu causæ secundæ, de quo nemo dubitat: sed negamus,

concursum Dei in actu secundo, esse distinctum à concursu itidem in actu secundo creaturæ. Rursus volitio Dei & concursus Dei (ut ita dicam) activè acceptus, est quid distinctum, secundum id, quod dicit in recto, dicit enim ipsam voluntatem Dei & Omnipotentiam applicatam, in obliquo autem & pro connotato non est quid distinctum, quia dicit ipsam actionem creaturæ.

OBJICIT secundò idem. Quando duæ causæ partiales subordinatæ producunt aliquem effectum v.g. intellectus & objectum, intellectum, non eadem actione concurrunt, sed diversa. Ergo idem dicendum, cum Deus & creatura concurrunt. Antec. prob. quia actio subiectatur in agente, sed unica indivisibilis actio, non potest subiectari naturaliter in duobus principiis distinctis realiter.

RESPONDETUR. Imprimis Negand. Antecedens cum sua probatione, quia quantumvis datur actionem agentem quodammodo subiectari in agente, non tamen in eo subiectabitur actio acta, nos autem concursum identificamus actioni actæ. Dixi actionem agentem quodammodo subiectari, quia cum idem sit realiter, vel cum actione acta (sed dicitur agens, non nisi per respectum ad principium) & sic recipitur in passo, vel est idem cum principio operante, & sic non subiectabitur propriè in agente, utpote cui identificatur. Rursus si concursus Dei subiectatur in ipso Deo, quæro etnè aliquid distinctum realiter à Deo, vel non est? si non est distinctum, in statu quæstionis non stas, hic enim queritur de distincto realiter concursu, si autem est quid distinctum, & tamen recipitur in Deo. Ergo entitas Dei rationem causæ materialis habere potest. Denique quamvis causæ partiales subordinatæ, producerent aliquem effectum distinctis actionibus partialibus, adhuc id respectu concursus Divini, concedi non deberet, quia actiones causarum partialium, non debent tantum subordinari, quia nec essentialiter subordinantur, sicut subordinari debet actio causæ secundæ, ad causam primam; consequenter actiones causarum subordinatarum, quamvis concedantur distinctæ, non erit necesse distinguere concursum Dei, à concursu creaturarum.

Lorca, ut eum citat recentior Suar. quamvis fateatur eundem esse realiter concursum causæ primæ & causæ secundæ, tribuit nihilominus prioritatem quandam concursui Divino, præ concursu creato, quam appellat prioritatem à quo, & dicit ulterius concursum causæ primæ, esse priorem in genere causæ efficientis, concursum autem causæ secundæ, dicit esse priorem in genere causæ materialis, & sic determinare causam primam. *Hec illius doctrina*

NON SATISFACIT. Tum quia prior est concursus causæ primæ in genere causæ efficientis, præ concursu causæ secundæ. Ergo comparatur

ratur ad illud, tanquam efficiens ad effectum, talis autem comparatio, arguit distinctionem realem, si autem ponitur distinctio realis, quomodo identificantur? Tum quia concursus causæ secundæ, est prior in genere causæ materialis, præ concursu Dei, idque suppono in genere causæ materialis veræ. Ergo subiectat concursus Dei verè concursus causæ secundæ: Si autem ille verè subiectat, quomodo sunt idem realiter? Tum quia non est explicabile, quomodo concursus Dei sit prior, præ concursu causæ secundæ? quia vel præcedit tempore, vel instanti, vel naturā, vel prioritate originis: non primum, & secundum, quia sicut nihil est prius tempore, vel instanti seipso, ita nec est prius eo, quod secum idem est realiter. Non tertium, quia nihil seipsum præcedit naturā, cumque per multos id sit esse prius naturā & prius causalitate, cum nihil causet seipsum nec erit prius naturā seipso. Nō quartū, quia prioritas à quo est prioritas consimilis ei, quā prioritate, prior est Pater æternus Filio, quæ prioritas licet salvet æqualitatem durationis, importat tamen oppositionem principii & principia, adeoque distinctionem realem. Quod ipsum sic aliter probatur; Prout est prior à quo concursus Divinus, eo ipso est posterior. Ergo non datur prioritas ista concursus Divini. Anteced. probatur. Prioritas à quo, est prioritas concursus creati prout pendens à Deo. Ergo concursus ille Divinus prior à quo eo ipso est posterior. Consequentia probatur, Concursus ille ille Divinus prout prior à quo, dicit concursus creatum, qui dicitur esse posterior. Ergo concursus ille Divinus prout prior, eo ipso dicit quid posterius. Addit recentior Suar. Concursus ille essentialiter procedit ab utroque principio. Ergo in nullo priori potest esse sine alterutro; alias esset sine sua essentia. Et certè non potest esse prior concursus creatus, hoc ipso enim quia creatus est, dependet à Deo, non etiam præcedit concursus causæ primæ, quomodo enim Actio vitalis v.g. intellectio, prius procederet à Deo, quā intelligeretur procedere à potentia vitali.

Si tamen nomine huius prioritatis non aliud intelligas, quā quod id, à quo dependet actio, sit prius suo modo, sicut v.g. prioris habet rationem Pater, præ Filio, causæ præ effectui, si non sumantur relativè, cumque concursus creatus dependeat ab increato, debet habere suo modo prioritatem, & hæc prioritas in præsentia, non negatur.

Dices primò cum Lorca. Duæ causæ non possunt uniri ad eundem effectum, nisi una determinet aliam, alias non nisi casu agerent, ergo & prima causa cum causa secunda non ager, nisi una determinet aliam. Quod si hæc determinatio tribuatur Deo. Ergo tribuetur & prioritas, nam determinatio est prior prioritate à quo.

RESPONDETUR. Imprimis, hoc argumentum non procedere de concursu, sed de causis, quo autem sensu causæ prima præ secunda habet rationem prioris, dictum ubi de prædeterminatione; duæ autem causæ ut uniantur ad unum effectum, eæque liberæ, non est necesse, ut una prædeterminet aliam, sed ut offerat vires cum quibus posset quidem non operari, infallibiliter tamen operetur altera, & ne casu dicatur agere Deus concurrando cum causis liberis, dirigitur à scientia conditionata.

Dices secundò. Ex istis duabus causalibus, quarum una dicit; ideo egreditur concursus à causa prima, quia egreditur à causa secunda, & ista altera, quæ dicit; ideo egreditur concursus causæ secundæ, quia egreditur concursus causæ primæ; ex istis inquam duabus causalibus, debet esse aliqua vera. Ergo debet alterutri concedi prioritas, cum concedatur determinatio, quam explicat illa causalis.

RESPONDETUR. Imprimis, retorquendo argumentum: ideo agit intellectus, quia agit species, ideo Petrus assidet Paulo, quia Paulus assidet Petro? & tamen in his nulla reperitur prioritas; ita licet ideo agat creatura, quia agit Deus; non sequetur hoc ipso, vel determinationem, vel prioritatem oriri debere. Deinde illa causalis; ideo egreditur concursus à causa secunda, quia egreditur à causa prima hoc solo sensu vera est, quia Deus & potentiam, & vires tribuit creaturæ, & in hoc genere, conceditur prioritas, sed non in præcedentia, alius sensus.

Dices tertio cum eodem. Malleus & artifex simul agunt, & tamen malleus, dicitur esse determinatus, ab artifice. Ergo etiam dicendum est, quod à concursu causæ primæ, determinetur concursus causæ secundæ. Sol etiam & homo generat hominem in eodem instanti etiam naturæ, & nihilominus determinat homo concursus solis, adeoque habet in hoc prioritatem. Ergo etiam diverso respectu prior erit concursus causæ primæ, præ secunda concursu.

RESPONDETUR. Supra jam prioritatem certam concessam esse, fufiusque explicatum hoc est, in materia de Prædeterminatione. Ad argumenti vim quod attinet, illud non convincit, facile enim est, ut malleus distinctus realiter, necessarioque operans, determinetur ab artifice, Sed concursus indistinctus realiter, ut eam indistinctum Lorca, quomodo determinabitur? Sicut & alia est virtus solis, hoc est v.g. calor, & alia virtus hominis, hoc est semen; hinc facilius est, ut unum, determinetur ab alio.

DIFFICULTAS III.

An concursus Dei, sit quid determinatum physicè?

PRÆMITTO I. Rem esse de concursu Dei extrinsecò & concursu, ut dicebam Acto, nam concurs-

curfus Agens, qui est omnipotentia applicata per voluntatem, cum sit ipsemet Deus, indubie est quid determinatum in sua entitate.

PRÆMITTO 2. *Sily: an concursus Dei sit determinatus physice pro eodem supponit, ac an sit determinatus nonnisi ad hoc producendum?* tunc procedere potest imprimis quæstio de concursu creativo, qui certe est determinatus physice, quia idem est cum re creata, quæ non potest esse, nisi hæc determinata: Si autem quærat de concursu, qui idem est cum concursu creaturarum, tunc

PRÆMITTO 3. *Queri posse: an concursus Dei cum causis necessariis sit determinatus nonnisi ad hoc producendum?* & sic indubie est determinatus, non enim est potestas utriuslibet in causis necessariis accipiendo eas cum omnibus prærequisitis. Si autem quærat de causis liberi;

PRÆMITTO 4. *Concursum cum causis liberis dupliciter spectari posse.* Primo in actu primo, qui nihil aliud est, quam omnipotentia præparata ad concurrendum, vel potest spectari concursus in actu secundo, & hic non aliud est, quam ipsamet actio creaturæ, prout dependens à Deo. Concursus in actu primo spectatus est indifferens, sicut & ipsa omnipotentia est indifferens ad concurrendum ad hoc, vel ad illud. Concursus autem in actu secundo non est indifferens, quia non aliud est, quam ipsamet actio creaturæ, quæ actio non est indifferens ad agendum. Quia verò ipsa causæ liberæ spectari possunt prout sunt principium actuum naturalium & supernaturalium; *Hinc*

PRÆMITTO 5. *Quod concursus Dei in actu primo ad actus supernaturales, prout importat superadditum habitum, aut præparationem auxilii vires habitus suppletis, in isto sensu habitus non est indifferens ad oppositum, licet sit indifferens ad agendum, vel non agendum.*

RATIO Prioris partis præmissi est, quia gratia & principium supernaturale, sive intrinsecum, ut habitus, sive extrinsecum, ut auxilium, non potest principiari peccatum. Ergo est determinatum, nonnisi ad effectum gratiosum. Ratio secundæ partis est, quia si auxilium illud vel habitus esset ad agendum, ita, ut non posset fieri oppositum, hoc ipso illud auxilium tolleretur libertatem, de quo in Materia de prædeterminatione. *His præmissis colligendoque dicta.*

DICENDUM est. *Concursum Dei in actu secundo spectatum non dicere indifferentiam, vel contradictionis, ut dixi, præmissis quarto, nec contrarietatis, ut ibidem dictum.*

PROBATUR. Quia concursus in Actu secundo spectatus, est ipsamet actio, quæ non potest non esse actio, adeoque nec est indifferens, ut non agat, & tamen deberet esse indifferens, si haberet indifferentiam contradictionis; nec etiam actio habet indifferentiam contrarietatis, quia est ipsa actio creaturæ, quæ non est indiffe-

rens ad oppositum; neque enim habitus amoris, est indifferens ad odium, in quo tamen stat libertas contrarietatis. Concursus tamen in actu primo est indifferens ad contradictoria, ut dictum præmissis eodem, licet spectatus in actu primo concursus, in quantum importat habitum supernaturalem vel auxilium indebitum, non sit indifferens ad oppositum, ut dictum præmissis quinto.

OBJICIT primò Pontius. Concursus Dei est volitio, qua vult cum causâ producere effectum. Sed per illam volitionem non potest aliud produci. Ergo concursus Dei non est indeterminatus. Minor probatur. Quia sequeretur, quod esset volitio, & non esset, esset ut supponitur, non esset autem, quia esset volitio producendi alium effectum; volitio autem producendi effectum alium, formaliter, aut ratione, distinguitur à volitione producendi alium effectum.

RESPONDETUR. Ipsam illam volitionem, non esse determinativum unius partis, nec volitionem unius partis, antecederet ad suppositionem volitionis creatæ. Deinde, volitio quæ vult producere effectum Deus, unum dicit in recto, & hoc est ipsemet Deus & actus illius internus, identificatus Deitati, & hæc volitio in essendo quidem est determinata, cum sit ipsum esse Dei determinatum, sed non est determinatum nonnisi ad volendum hoc. Deinde volitio illa connotat aliquid extrinsecum, nempe ipsum effectum, quem concedo esse determinatum, sed ex suppositione sui ad se.

OBJICIT secundò idem. Concursus Dei est identificatus actioni creaturæ. Sed hæc est determinata ad unum. Ergo & ille concursus.

RESPONDETUR. Concursum in actu primo non esse identificatum creaturæ, sed tantum concursum in actu secundo, quem jam supra dixi, non esse indifferentem ad oppositum, vel non ad esse, sicut supponit objectio.

OBJICIT terriò. Effectus non magis pendet à causa secunda, quam pendeat à causa prima. Ergo si quid non potest egredi à causa secunda per concursum indeterminatum, nec egredietur à causa prima.

RESPONDETUR. Effectum egredi à concursu causæ secundæ indifferenti, si ille sumatur in actu primo, quia egreditur à voluntate non determinata; in actu autem secundo spectatus concursus utriusque determinatus est, ut dixi.

OBJICIT quartò idem. Concursus cum sit actio, necessario pro distinctione terminorum distinguui debet. Ergo non est indifferens.

RESPONDETUR. Consequens & Antecedens esse verum de concursu in actu secundo.

INSTAT. Determinatio actualis causæ ad effectum producendum nequit esse, quin causa determinetur per ipsam. Ergo si determinatio, quæ

quâ Deus de novo determinat ad producendum amorem, esset etiam determinatio ad producendum odium, sequeretur, quod quoties produceret amorem, produceret etiam odium.

RESPOND: Non dari determinationem actionem causæ ullam, quæ sit distincta, ab ipsamet actione libera.

OBJICITUR Quinto. Si non daretur concursus divinus determinatus & determinans Dei voluntas ad unum, non daretur ex eo, quia tolleretur libertatem. Sed non tollit. Minor probatur, quia illud, quod tollit libertatem, debet esse suppositio alicujus, quod quamvis antecedit, habet virtutem necessario tractivam voluntatis. Sed si daretur decretum determinans, aut concursus quicumque Divinus ad unum determinans, non haberet virtutem necessario tractivam voluntatis. Quod ipsum probatur, quia quidquid habere potest virtutem determinativam voluntatis, vel debet illam habere quatenus est aliquid, quod habet rationem actus primi, vel rationem actus secundi; Neutro modo determinatus ille concursus habet vim determinandi necessario voluntatem, quod ipsum probatur, quia quod determinat necessario per modum actus primi, aut debet proponi ipsi per intellectum, aut debet habere aliquam antecedentem actionem, per quam produceretur actio voluntatis? jam autem non est necessarium, ut vel decretum illud cognoscatur, nec habet illud decretum vel concursus actionem aliquam, antè actionem voluntatis; aliàs antè actionem voluntatis produceretur actus voluntatis, quod fieri non potest, non datur enim actio actionis gratiæ illa poneretur. Quod si illud decretum & ille concursus, esset per modum actus secundi, nec dum necessitaret voluntatem, quia ille concursus, aut esset actio totalis actus voluntatis, aut partialis: Si totalis; Ergo actus ille non produceretur à voluntate: si partialis; Ergo debet simul naturâ adesse actio voluntatis, & sic non determinabitur voluntas determinatione antecedenti.

RESPONDETUR, hoc argumentum multum probare, probaret enim salvari libertatem in prædeterminatione Thomistica, quia etiam illa nec agit sine voluntate, nec debet proponi voluntati. Supponitur autem Scotistis Prædeterminationem Physicam non admittere. Rursus, possibile est, ut Deus suo decreto destruat libertatem, & tamen vi hujus argumenti, non destrueret illam, quia non esset necesse decretum illud proponi voluntati, nec esset necesse, ut illud decretum antecederet agat actionem voluntatis. Directè autem ad argumentum dici potest, duplicem necessitatem profectam à Deo, cogitari posse. Primò positivam, quam stante etiam iudicii indifferentiâ de faciendò, vel non faciendò, imprimere potest: potentia volitivæ; Secundò, aliquam necessitatem nega-

tivam, quæ sistat in non exhibitione ejus, quod necessarium est ad agendum conformiter voluntati liberæ, sic v.g. quando Deus subtrahit suum concursum causæ necessariæ, necessario habet hoc, quod non agat, quæ tamen necessitas non nisi ex negativo principio oritur, ex negatione scilicet concursus debiti; sic etiam in præsentì, quia non daretur concursus indifferens, quo indiget potentia hîc & nunc liberè operatura, hinc illo negato, negativè Deus necessitaret voluntatem; dico itaque necessitatem illam fore in actu primo, sed quia est ex negativo principio, non esset necesse illam quidquam agere antecederet, nec etiam nosci. Posset etiam ostendi actio antecedens impropria, hoc est determinans potentiam, ut non nisi agat.

NOTO. Præsentem doctrinam Pontii & Scotistarum respicere, quod non sit tollenda libertas concursu & decreto determinativo ad unum, modò se habeant per modum concomitantis; Sed tollendam esse libertatem hæc evincunt. Tum quia quò posito non possumus non agere, & illud non est situm in nostra potestate, nec ortum ex usu libertatis, illud tollit libertatem; jam autem ille concursus etiam concomitans est talis, ut docet ipse Pontius. Major autem fundatur in definitione libertatis, quia de ratione liberi est, positus omnibus requisitis, inter quæ est concursus concomitans, posse agere & non agere. Tum quia per hoc solum videtur velle salvare libertatem, quia decretum illud determinatum includeret adhuc concursum creatum, ut videre illum est hic num. 103. hoc autem libertatem non salvat, quia si necessitaretur voluntas ad agendum, adhuc includeretur concursus voluntatis creatus. Tum quia illud decretum & esset concomitans, ut supponitur, & non esset concomitans, esset enim antecedens non solâ æternitate, quia hæc ad præsens impertinens est, sed esset antecedens causalitate, quod ipsum probatur, concomitantia dicit simultatem duorum. Ergo etiam & concomitantia concursus determinati dicit simultatem duorum, nempe concursus Divini, & concursus Creati. Sed concursus creatus respectu effectus agendi, habet rationem antecedentis causalitate, quamvis concomitantem sibi habeat concursum Divinum. Ergo etiam & concursus Divinus poterit habere rationem antecedentis causalitate, quamvis concomitantem sibi habeat concursum potentia creatæ. Tum quia Concursus Divinus in Actu primo spectatus, vel complet rationem actus primi proximi in potentia, vel non complet? Si complet, ergo & ipse habet se per modum actus primi; Si non complet. Ergo potentia se solâ habet rationem actus primi completi, quod nec ratione effectuum naturalium, sed multò magis supernaturalium concedi non potest potentia, aliàs viribus naturæ, posset illum producere, statuiturque per hoc independentia actus primi crea-

creati in agendo à causa prima, & si nihil sit in actu secundo sine concursu Dei, ita nec fieri potest quidquam sine concursu Dei, in actu primo; quia ab iisdem principiis pendet effectus in actu primo, & in actu secundo. Tum quia non est imaginabile esse aliquid verè causam, & tamen non se habere per modum antecedentis. Tum quia posito illo simultaneo concursu in actu primo parato, habente respectu effectus antecedentiam causalitatis, & includente aliquo modo operationem nostram, vel potest fieri & non fieri operatio, vel tantum potest fieri: si primum, quomodo salvatur determinatio? si secundum, quomodo salvatur libertas? Tum quia concursus ille simultaneus, includens nostram operationem, includit illam tanquam effectum. Ergo respectu illius non dicit concomitantiam, sed antecedentiam. Tum quia & esset ille concursus determinatus, ut ponitur, & non determinatus, quia illo posito posset adhuc homo agere & non agere, ut videre est apud ipsum, num. 98. Tum quia, ponamus ex una parte decretum aliquod & concursum determinatum, qui etiam sit per Scotistas necessitatus, ponamus ex alia parte decretum illorum &

concursum concomitantem, fiat parallela: Istud decretum necessitans, est suppositio antecedens, causalitate, positionem effectus, concursus etiam concomitans, antecedit causalitate, positionem effectus, decretum necessitans, non est in nostra potestate ponere vel non ponere, idem verum de decreto & concursu concomitanti decreto necessitanti posito, non potest sequi oppositum in sensu composito, idem convenit decreto concomitanti, hoc ipso enim non esset determinatus. Quid autem rogo habet se sola verbotenus concomitantia, ad salvandam libertatem? Neque valet quod adfert, num. 108. ubi dicit, quando mihi Deus dat concursum determinatum ad unum, quamvis non det concursum determinatum ad oppositum sufficit, quod habeatur concursus in actu primo, hoc est voluntas Dei, parata dare concursum, nam si non sufficit ad libertatem, dare concursum necessitantem, & habere voluntatem paratam servandæ libertatis, nec in præsentia etiam sufficeret, & sicut non sufficit Deum esse paratum ad dandum auxilium sufficiens, sed est necesse illud offerre, ita & in præsentia.

DISPUTATIO VII.

De Causa extrinseca, quæ est Finis & Exemplar.

PAUCA hinc veniunt Scholasticè discutienda, hoc, quod difficultatem habere posset, id est: an bruta agant propter finem propriè? negatum hoc est in Materia de Angelis Dis. 5. n. 85. alia quæ sunt magis propria huius loci, interim decurrenda sunt.

QUÆSTIO I.

Quid Finis? estne Causa realis? quæ ejus Causalitas?

ASSERO primò. Finem ex Aristotele 2. Phys. textu 28. esse id, *cujus gratia aliquid fit*, ex quo rursus causam finalem secundum id, quod dicit 1. Ethic. c. 2. rectè definieris? *Est id, quod propter se amatur, & propter quod cætera volumus*; Reflexendo autem ad terminos, quibus causa in communi definita est, causam finalem definieris;

Quod sit principium determinans ad existentiam gratiæ sui, vel tanquam propter quod. Explicari hoc solet, sic intellectus assentitur quibusdam principiis, quæ de se evidentia sunt, & quibusdam non nisi propter connexionem cum illis, sic etiam voluntas quædam amat objecta propter se, & alia propter connexionem cum illis, & quemadmodum quibus intellectus tanquam immediatis assentitur, vocanturque principia, quibus autem assentitur propter connexionem, vocantur conclusiones, sic quæ appetit voluntas propter bonitatem immediatè in illis inclusam, vocantur finis, quæ autem amantur propter connexionem cum illo bono, vocantur media. Demum sicut principia communicant suis connexis evidentiam, ita finis communicat mediis bonitatem & amabilitatem. Explicari hoc ipsum sic aliter potest.

De ratione finis est ultra se nihil in illo genere, vel ordine habere; & ita est finis linearis, ultra quod